




1761





10
CASUUM
CONSCIENTIÆ

Et

PRÆCIPUARUM QUÆSTIONUM
PRACTICARUM

DECISIONES

Ex

S. Scriptura, monumentis sc. Pro-
phetarum & Apostolorum,

Nec non

Sinceriorum THEOLOGORUM

Scriptis, in

BREVIARIUM

REDACTÆ.

Cura & impensis

JOHANNIS GEZELIJ,

D. Ep. Ab.


Jac. Büb.



1693⁵₁₇

Cum Gratia & Privilegio S. R. May:tis

ABO Æ, Excusæ à JOHANNES Winter/
Regio Typogr. Finland; Anno 1689.





Pio ac Conscientioso Lectori

Pacem & Gratiam à Domino.



Inter alia saluberrima statuta, quæ
S. Regia Majestas in Ordinantiâ
Ecclesiasticâ clementissimè sanc-
civit, est & illud, quòd sacrum
munus ritè adituri, etiam in decisione ca-
suum conscientiæ peritiam suam mon-
strent, idque propter varios nunquam
non emergentes casus in Ecclesijs. Est qui-
dem Theologia Casuistica scriptorum jam
antea editorum feracissima. Inter pontifi-
cios, sub Theologiæ Moralis Titulo
multiformi, vasta, sed sæpè deformia
prostant volumina. Neque in his stu-
dijs segnes sunt Calviniani, Politicæ Ec-
clesiasticæ, & similibus Nominibus ejus-
modi sua opera exornantes. Nostrates
verò Evangelico-Lutherani, quemadmo-
dum Decisionibus orthodoxis, & Respon-

tionibus sanis, ex verbo Dei desumptis, omnes antecellunt, sic diligentiam quoque & accuratatione superant reliquos. Quidam casuum Resolutiones systematibus Locorum Theologorum inseruere, uti factum est à B. Gerhardo, Brochmanno, & recentioribus quibusdam. Singularem operam etiam hisce impendere Theologi celeberrimi, inter quos meritò laudantur B. Balduinus, & post illum B. Danhaverus, B. Rönig, B. Eichsfelt, alijque; & nuperri- mè, D. Johannes Adam Osiander, opere sa- tis prolixo, ut nihil de ICTis nostræ religi- onis dicam. Egregia porrò diligentia adhi- bita est ab alijs in colligendo ex jam lauda- torum virorum scriptis, & ex responsis consilijsque, cum ministeriorum sacrorum, tum Facultatum Theologicarum, ea quæ huc faciunt. Sic valdè profuit Ecclesiæ industria B. Dedekenni, eorumque qui ejus opus continuarunt, verum enim ve- rò ea est conditio juventutis, studijs Theo- logicis apud nos dicatæ, & is Locorum si- tus, ut à paucissimis vel unus commemo- rato-

ratorum Scriptorum possit comparari. Sunt & in illis haud pauca, quorum exiguus est in Ecclesijs nostris usus. Proinde S. Theologiae Studiosis consultum ire volui, ut illi nobiscum, in Dei Gloriam, Ordinantiæ Regiæ facerent satis, & Summo adjuvante Numine, ex supra recensitis Auctoribus, qui ad manus sunt, *Breviarum* hocce edere. Interviebat autem apprimè præsentì instituto, insignis collectionis opera, sub directione D. Missleri, Francofurti ante aliquot annos publicæ lucis facta. Ast ut seriem casuum accommodavi receptæ inter nos Methodo, ita ad Ordinantiæ S. R. *Maj. tis* Ecclesiasticam totum applicui: Ea quippe adeo nervosè est consignata, ut, etiam hujus Breviarij ductu, peritiores longè plures casus inde resolvere possint. Hinc quoque factum, quod supervacaneum duxerim Auctorum Nomina apponere. Si quis plures desideret Quæstiones, & pleniorẽ ad allatas responsionem, meminisse debet, hic saltem Breviarium tradi. Gra-

tulamur nobis, hocce nostrum propo-
situm REGI ET MONARCHÆ NO-
STRO POTENTISSIMO placuif-
se, cujus extat de illo ad pl. Rev. Facul-
tatem Theologicam mandatum Cle-
mentissimum: approbantibus illustrissimis
& eminentissimis Dominis in *Regio Cancel-
laria Collegio*, qui non dedignati sunt par-
tem hujus opusculi, non dum impressi,
perlegere. Deum ter. Opt. Max. preca-
mur, velit hunc & alios nostros labores
in sanctissimi sui Nominis Gloriam, Eccle-
siæque exædificationem vergere, Nosque
Spiritu suo per Dominum Jesum corro-
borare, ut fidem & conscientiam bonam
semper servemus! Vale L. Benevole in
Domino & fave ei, qui dabit Aboæ, ipso
die Lutheri, Anno 1689.

JOH. GEZELIO D.

IN

IN
CASUS CONSCIEN TIÆ

à
Reverendissimo DOMINO

Dn. Doct. JOHANN E
GEZELIO, Sen.

Episcopo Aboënsi Gravissimo,
&c. &c.

*Ad desiderium totius Diœcesios exquisitè
elaboratos, in Fac. Theolog. ad mandatum
REGIUM censendo perlectos,*

ἐξάσιχον:



Uge DEO dilecte SENEX, sacrate
labori;

Robore quem tanto cana se-
necta bear.

*Conscia quid valeat mens recti tramite dextro
Exponis; liber hic roscida mella sapit.*

Desino mirari defuncti mella Leonis;

Dat mel GEZELII nam meletema SENIS.

*Quod, verbis brevis, affectu
prolixus adposuit*

JACOB FLACHSENIUS,

S. S. Th. D. Prof. Prim.

& Past. Ab.

In Opus
CASUUM CONSCIENTIÆ
GEZELIANUM,
AD DESIDERIUM PLURIMORUM,
USUM VERO OMNIUM, JUSSU
REGIO CONSIGNATUM,
Συγχαρμα.



*Ubi nuce velabat quondam polydædalus
arctâ*

*Vastum opus, ingentis Græcorum vatis,
Homeri,*

Invento hoc æquans septem miracula mundi.

Sub nuce Parnassum dedit hætenus ardua vena

*Ingenij, brevitatis amans, cum sænore largo
Cunctorum, & famæ per secula sera triumpho.*

*Enthea GEZELII vis longè excellit utrumque,
Quæquam canities fluitat per tempora & ora,
Lana velut niveo radicitus alta colore.*

Hoc operis, divine Senex, tua sedula cura,

Communi egregio sacrata gregisque Jehovæ,

Atque Scholæ Patriæ, pariter Christique Ministris,

Procurit vario, valido gnævoque, labore.

Macte his, Antistes scriptis ad sidera note;

Teque Scholæ Patriæ, simul hinc te Ecclesia Christi.

Concelebret, viridem vegetamque precata senectam!

Vive vigetque Tibique Tuisque, gregique Jehovæ,

In Pylios annos per tempora longa superstes!

Ita Reverendissimæ Vestræ Digni-
tati vovet animitus.

PETRUS LAURBECCHIUS,
S.S. Th. D. & Prof. Ordinar.



Σὺν Γεῶ.

CASUUM CONSCIENTIÆ
BREV I A R I U M.

Qq. PROOEMIALES DE CONSCIENTIA

Quest. I. An sit Conscientia?

Resp.



- Conscientiam esse docent. 1.
S. Scriptura, in qua fit mentio Conscientiæ *Bona*, *Act. 24: 16.* & *male*, *Matth. 27: 4, 5.*
2. *Vota piorum* pro bona Conscientia, *Psal. 51: 12.* *cor mundum crea in me Deus.*
3. *Gaudia* ex bona conscientia, *2. Cor. 1: 12.* *Gloria nostra hæc est, Testimonium conscientie nostræ.*
4. *Terrores impiorum* post admissum scelus, *Gen. 4: 13.*
5. *Quotidiana Experientia* : unusquisque enim sui ipsius optimus & planè infallibilis est Testis ac Judex.
6. Imo *Ethnicorum effata* : *Platonis, conscientia est bona nutricula senectutis. Et Horatii, Hic murus abeneuse esto, nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.*

Q. II. Unde dicatur Conscientia?

R. Conscientia in Lingva Græca, Latina, Svecica, Germanica, & Fennica nomen habet à *Sciendo*, quod sciat omnia hominum cogitata, dicta & facta, estque eorum index & iudex sive bona sint, sive mala.

Apud Hebræos ipsum *Cor*, quod hominē convincit, pro conscientia ponitur. Eccl. 7. 13. *Scit cor tuum, quia tu crebrò maledixisti aliis.*

Q. III. Quid sit Conscientia?

Conscientia est facultas animæ, quæ notitiam rerum apprehendens, de omnibus hominum cogitatis dictis & factis testatur, eaq; accusat, vel excusat, condemnat vel absolvit, hominem torquet vel solatur.

Dicitur Conscientia (1) *Facultas animæ*, quia in animæ partibus sedem habet, hinc anima & spiritus haud rarò dicitur; ut Rom. 8:16. *Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, h. e. Conscientiæ.*

(2) *Notitiam rerum apprehendens*, est n. q. explorator Dei, omnia inspiciens, leg. Jer. 17: 1.

(3.) *De omnibus cogitatis, dictis & factis testatur*, Esa. 59: 12. *peccata nostra respondent nobis, quia scelera nostra nobiscum, & in-*
iqui-

*iquitates nostras cognovimus. Hinc dicitur,
Mille testes.*

(4) *Excusat vel accusat, condemnat vel absolvit, Rom. 2: 15. Cogitationes se invicem excusant vel accusant.*

(5) *Solatur vel torquet, Excusationem sequitur solatium, quies, gaudium, spes, fiducia: Damnationem, metus, angor, desperatio, morsus; Prov. 10: 28, 29.*

Q. IV. Quotuplex sit conscientia?

R. Conscientia est vel bona vel mala, pro ut de Actionibus bonis vel malis judicat.

Q. V. Quid sit Bona Conscientia?

R. Bona Conscientia est læta & tranquilla cogitatio cordis, de rebus nostris, juxta legem Dei & naturæ, benè, piè, candideq; administratis, de quibus licet alij minus dextrè judicent, cor tamen nostrum rectius testificatur, contra calumnias excusat, nosque latos reddit.

Vel, Est internum testimonium, & sensus judicii de nostris benè factis, quem comitatur lætitia. Vel, est reliqua in homine recte rationis scintilla, bonarum actionum Judex & index, leg. Act. 23: 1. & 1. Cor. 4: 4.

Q. VI. Quenam sint indicia bonæ Conscientiæ?

R. Præcipue hæc sunt: Deum ardentè

timere: Verbum ejus libenter amare; Deum diligenter orare: proximo congruenter infervere: injurias patienter ferre, in Fide & pietate constanter persistere, & à peccatis se indefinentur custodire. Quæ sunt opera spiritus, & notæ bonæ Conscientiæ.

Q. VII. Quibus Mediis bona Conscientia acquiritur & conservatur?

R. Primum medium est *Fides in Christum, ejusque meritum*, Hebr. 9: 13, 14. & 10: 22. quam precedit *Resipiscentia*, Jer. 3: 13. Alterum est *precum exercitium*, Zach. 13: 9.

Hinc sequitur *vita innocentia*: quæ acquiritur

(1) Seria observantiâ & meditatione legis divinæ, Gen. 17: 1. *Ambula coram me*, &c.

(2) seria lucta contra suggestiones Carnis, Rom. 6: 12.

(3) Seria meditatione præmiorum, quæ Deus promittit obedientibus, & pœnarum, quas inobedientibus minatur, 1. Tim. 4: 8.

(4) Seria recordatione Exemplorum; in quibus Deus executus est minas legis suæ: ut *primi mundi, Sodomitarum, Hierosolymitarum*, &c. Quæ historiæ in nostram correptiorum scriptæ sunt, 1. Cor. 10: 11.

(5) Crebra recordatione judicij extremi: Job. 31: 4.

Q. VIII. An Christianis imprimis sit ratio habenda Conscientiæ?

R. Maxime, & quidem 1. Propter Deum qui Conscientiæ puritatem nobis mandavit, 1. Tim. 1:5. *summa mādati est charitas ex corde puro Conscientiæ bona & fide non ficta Conf. Matth. 5:16.*

2. Propter Angelos, qui sanctis hominum operibus exhilarantur, Luc. 15:10. *gaudium est in Cælis coram Angelis Domini super uno peccatore pœnitentiam agenti, &c.* Hinc veteres dixerunt: *Noli peccare, Deus videt, Angeli tristantur, mors minatur, Diabolus accusat, Conscientia mordet, infernus cruciat.*

3. Propter Diabolum, ne occasionem ei demus nos calumniandi, est enim accusator noster die ac nocte, Apoc. 12:10.

4. Propter Nos ipsos: quia amissâ bonâ Conscientiâ, omnis noster thesaurus perit. *amittitur enim (1) Fides namq; in Christianis individuo nexu coherent fides & bona Conscientiâ, repet. 1. Tim. 1:5. 19.* Ergo qui illâ carent (a) non sunt in gratia apud Deum, Hebr. 11:6. (b) non habent remissionem peccatorum, quam accipimus *per sanguinem Christi, Hebr. 9:14.* (c) nec fiduciam cordis in Deum, quæ Conscientiæ adscribitur, 1. Joh. 3:21. & Fidei, Rom. 5:1. (d) neque inhabitantem

Christum & Spiritum Sanctum, *Job. 14: 23.*
Nec denique spem vitæ æternæ, in quam
nihil immundi ingreditur, *Apoc. 21: 26.*

(2) Amittuntur *omnia exercitia vera fidei.*
pereunt enim, (a) *Preces*, quæ vel frigida
sunt vel planè nullæ, aut saltem sine fructu;
peccatores enim Deus non exaudit, Job. 9: 31.
Esa. 1: 15. & 59: 2. (b) *Eleemosynæ & ope-*
ra misericordiæ, quæ Deo non sunt grata
quia fiunt sine fide, *repet. Hebr. 11: 6.* (c)
solatium & fortitudo in adversis, *Psal. 112: 7.*
8. & Phil. 4: 4. (d) *Vite tranquillitas*, est
enim bona Conscientia perpetua lætitia,
Psal. 32: 11. imprimis dulcis nutricula senec-
tutis, unde Senex ille rogatus à juniore: *cur*
tibi tam levis est, cur tam jucunda senectus?
Respondit: *libera quod vitiis tota juventa*
fuit. (e) *Vera ἐὺφρασία*, malè moriuntur,
qui male vixerunt, *Luc. 16: 23.*

Itaque NB. illud *Barnhardi*; sit nostra
Prima cura, ut Deum quæramus mente
purâ.

Q. IX. *An quandoque Fame prior habenda sit*
ratio . quam Conscientia?

R. Neg. quia bona spiritualia longæ præstan-
tiora sunt bonis corporalibus & externis: Bo-
na autem *spiritualia* sunt fides, Gratia Dei,
bona

bona Conscientia, &c. Bona Corporalia, vita, fanitas, *Syr.* 30: 15. 16. Bona externa, Fama, honor, divitiæ, *Syr.* 41: 15. 16.

Q. X. An bona Conscientia Coram Deo absolute valeat?

R. Neg. Quia in multis delinquimus omnes; *Psal.* 130: 3, & *1. Cor.* 4: 4. nemo igitur de sua pietate gloriatur; sed illud usurpet: *Glorior in solo Sanguine Christe tuo:*

Ubi vero Conscientia per Gratiam Dei, & sanguinem Christi ab operibus mortuis est emundata, (*Hebr.* 9: 14.) potest in Deo, coram & cum Deo gloriari. *Phil.* 4: 4.

Q. XI. Quid sit mala Conscientiâ?

R. Mala Conscientia est Judicium cordis, accusans & convincens nos alicujus sceleris, reos propterea faciens iræ Dei & pœnarum temporalium ac æternarum. Dicitur mala, quia (1) est in filiis malitiæ, (2) oritur à peccatis, sceleribus, & flagitiis, (3) malos facit animos, & (4) malum habet effectum.

Q. XII. Quot sint species male Conscientiæ?

R. Prout malum est multiplex: Ita malæ Conscientiæ plures sunt species, quarum præcipuæ sunt 1. *Consc. Cauteriata*, h. e. Igne malitiæ combusta, & veluti stigmate indelebili notata. de qua *1. Tim.* 4. 2. *cauteriis*

notantur *malefici vel* in fronte, vel in alia corporis parte conspicuâ, quo signo infames habentur: Ita impii stigmate Conscientiæ sunt notati, & coram DEO infames.

2. *Consc. nimis lata:* sc. eorum, qui enormia tantum scelera, furta, adulteria, Homicidia, &c. Pro peccatis habent: Reliqua leviora, ut ebrietatem, libidines, impuras cogitationes, dolos, fraudes & similia plane nulla aut levia esse putant, eaq; impunè patrant.

3. *Consc. perversa.* Estq; eorum, qui peccata minima, vel nulla pro magnis; Et maxima pro nullis habent, ut Pharisei, de quibus Christus ait: *Quod colent culices & deglutiant Camelos.* Matth. 23: 24.

4. *Consc. periculosa:* cum ne quidem maxima peccata curantur, & patrata oblivioni traduntur, ubi tandem certissimus sequitur interitus, *Luc. 16: 23. 28.*

5. *Consc. nimis arcta* eorum, qui ob frequentes lapsus, de Misericordia DEI planè desperant, inq; peccatis pergunt, *qui dicuntur in reprobum sensum traditi,* Rom. 1. 28.

6. *Consc. perplexa,* cum quis inter duo peccata hæret, dubius quodnam eligere velit, cum

cum neutrū sine læsione Conscientiæ fieri possit, ubi tutissimum ab utroque abstinere, & temporale potius incommodum pati, quam Conscientiam lædere.

7. *Consc. scrupulosa*, cum quis metuit, se in singulis actibus peccare, ubi non peccat contra Conscientiam; Defectus autem illi etiam bonis actionibus adhærentes veniam impetrant, ac proinde metus ille deponendus est.

Q. XIII. *Quæ sint officia malæ Conscientiæ?*

R. Officia malæ Consc. 4. numerantur. quorum

1. *Hominem accusat*, est enim quasi Codex, cui omnia peccata stylo ferreo inscribuntur, & acuto adamante exarantur, *Jer. 17 1. conf. Rom. 2: 15.*

2. Peccatorem accusatum *Convincit*: *Esa. 59: 12.* & peccatores ita convicti dicuntur *αυτοκατάκριτοι*, quasi proprio iudicio condemnati, *Tit. 3: 11.*

3. Convictum *condemnat*, & fert sententiam condemnatoriam, *1. Job. 3: 21. Conf. Sap. 17: 11. 12.*

4. Condemnatum *torquet*, quia sententiam ipsa exequitur, *leg. Matth. 27: 4. 5. nam, conscia mens scelerum pœnas sub pectore nu-*

erit. Torquet autem & affligit, (1) pudore & confusione, Rom. 6: 20. 21. (2) Terrore, tremore & pavore, ut quis omnes creaturas, imò sonitum folij volantis metuat, Lev. 26: 36. & fugiat impius nemine persequente Prov. 28: 1. Nulla ergo pœna est major malâ conscientîâ, omnium delictorum nostrorum ipsa est Testis, ipsa Judex, ipsa Tortor, ipsa carcer; ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa demnat ipsa punit.

Q. XIV. Quid de Conscientia Dubia & opinabili sentiendum?

R. Homines illi dubitantes & variis opinionibus fluctuantes commendent vias suas Domino, ipse faciet, & quod ipse suggerit, tutissimè sequentur, Psal. 37: 5.

Q. XV. Quid sit Conscientia Dormiens?

R. Conscientia in impiis non raro dormit, quia Deus hujus seculi excæcat mentes infidelium, 2. Cor. 4: 4. & hi excæcati dicuntur ἀπληγῆκότες, dolere desinentes. Eph. 4: 19. Ita Judam invasit Satan, Job. 13: 27. Sic occæcati erant Israelitæ, conciones prophetarum flocci facientes.

Q. XVI. Quibus mediis Deus Conscientiam Dormientem excitet?

R. Conscientiam dormientem Deus excitat (1)

rat (1) per efficacem legis prædicationem; *Esa. 23: 29*, nonne verbum meum malleus est, conquassans petras. add. *Heb. 4: 12*.

(2) Cum non pauci imitentur *aspidem surdam*, aures obturantem ne audiat vocem incantantium, *Psal. 58: 5*, ideo miseriis & calamitatibus eos abruit, ut in se descendant, sic securi fuere Fratres Josephi, *Gen. 37: 45*. ast durius cum tractarentur in Ægypto, tum demum angores ex pristino scelere sentiebant. *Gen. 42: 21*.

(3) *Pœnis horribilibus* Deus obstinatos interdum coercet, eosque morte repentina vel ignominiosâ abire permittit. Sic abiit Pharaon in Mari, *Exod. 14: 27. 28*.

Q. XVII. An Conscientia in homine extingui possit?

R. Conscientia, cum sit naturale lumen in homine, extingui penitus non potest, sæpissime tamen quoad actum impeditur, quod facit.

(1) *Externa violentia morbi*, quod fit in phreneticis.

(2) *Externa vis affectuum*, ut in iratis & libidine astuantibus.

(3) *Tenebræ occæcationis & Ignoratio voluntatis Dei*, ut in persecutoribus, *Job. 16: 2. 3*.

(4) *Dis*

(4) *Durities obstinationis*, quæ facit, ut quamquam conscientia remurmurat & accusat, nunquã tamen ad bonum instigat, ut in damnatis.

Q. XVIII. *Quomodo Conscientia vulnerata sanetur?*

R. Non rarò contingit, ut homines vulneratâ conscientiaâ verbi Divini ministros accedant, medelam anxie postulantes: Remedium autem aliud dari non potest, quam *Sanguis Jesu Christi*, qui purgat Conscientias nostras ab operibus mortuis, *Heb. 9:14. add. Job. 1:29.*

Itaque opus est contritione ac Fide: *Contritio* consistit (1) in seria peccati *agnitione*, (2) in ingenuâ peccati *confessione*, quæ fit Deo, cui soli peccavimus, *Psal. 51:6. Ministro Dei*, qui potestatem absolvendi à DEO habet, *Job. 20:23. & proximo*, quem offendimus, *Jac. 5:16.* (3) in humili *deprecatione*. *Luc. 18:13.*

Fides consistit non tantum in: notitia meritorum Christi, sed & *fiducia*, quâ quis Christi meritum ita sibi applicare novit, ac si pro se solo præstitum sit. *Gal. 2:20.*

Q. XIX. *Quid sint Casus conscientie?*

R. *Casus Conscientie* nihil aliud sunt, quam Dubitationes, cum quibus luctatur Conscientia nostra, nescia quid in certo aliquo opere

pere aut actione tutò facere aut fugere conveniat: Adeo ut Casus Conscientiæ sint *Scrupuli* quidam angentium & affligentium Dubitationū, quibus exagitur Conscientia.

Difficiliores autē hæ quæstiones unicè juxta ductū S. Scripturæ decidendæ sunt: namq; nihil est quod hominis Conscientiam tranquillam reddere potest, præter verbum Dei, quod fallere nescit. *Psal. 119: 9. add. Gal. 6: 16.*

Q. XX. Qua methodo hi casus Conscientiæ pertractandi sint?

R. Facilimâ methodo Casus Conscientiæ pertractantur, quæruntur & inveniuntur, si dispescantur juxta seriem articulorum fidei ab auctore in patria nostra recepto, Hassenrefferò monstratam: Præmissò tamen Articulo de Scriptura Sacra.

Articulus I.

DE SCRIPTURA SACRA.

Q. 1. An Scriptura Sacra sit principium salutis & Cognitionis Theologiæ?

R. Af. 1. Pro ut in omnibus artibus & disciplinis melius dari principium non potest, quam quod est illi disciplinæ proprium: Ita de DEO & rebus divinis non aliunde rectius

Etius, quam ex verbo DEI iudicatur: Nemo enim de DEO melius testari potest, quam DEUS ipse in verbo suo.

2. DEUS ipse in rebus Divinis ita ad verbum suum nos alligavit, ut præter illud nihil admittere velit, *Deut 4: 2.*

3. In N. Test. Christus ipse nos ad scripturas remittit, tanquam ordinarios testes eorum, quæ de ipso credenda sunt. *Joh 5: 39.*

4. Paulus de sacris literis testatur, quod hominem instruere possint ad salutem. 2. *Tim. 3: 15. 16.*

Ergo nulla aliunde esse potest tranquillitas Conscientiæ in rebus fidei, quam quæ ex Sacra Scriptura hauritur.

Q. II. Quid si quis, præcipue Laicus, dubitet de veritate verbi Divini & Christianæ Religionis?

R. Hi ducendi sunt ad frequentem Sacræ Scripturæ lectionem & meditationem, cum ardenti precatione pro illuminatione Spiritus sancti: Et dabit DEUS ex immensa sua misericordia, ut vim & *Ἐνέγγυειαν* verbi Divini sentiant. *Act. 8: 35. seqq.*

Q. III. At si suggesserit Satanas aliquid contra verbi Divi veritatem?

R. Si tantæ impudentiæ Spiritus Scrupulum

pulum de verbo DEI moveat, indignus habendus est omni disputatione, *cum mendax fuerit ab initio, & veritatem in mendacia convertere conetur, Job. 8: 44.*

Q. IV. An unius dicti plures sint sensus literales?

R. Neg & Dist. inter sensum literalem, & sensum literalis usum seu applicationem, ut E. g. *Psal. 2: 7. Filius meus es tu, hodiè genui te.* Sensus literalis est de æterna filii generatione. *Ast Act. 13: 31.* Applicatur ad Christi resurrectionem quia filius DEI, non videt corruptionem. *& Heb. 5: 5.* Applicatur ad Christi Sacerdotium, quia filius Dei primogenitus erat.

Q. V. An Theologia transcendat Regulas logicas?

R. Aff. quia excedit omnem captum & conceptum rationis humane, *1. Cor 2: 14.* & in Theologia sunt hujusmodi propositiones, quæ ad nullum prædicandi modum in logicis usitatum congruunt: *Ut DEUS est homo: Filius DEI est Filius hominis: Panis benedictus est Corpus Christi.*

Q. VI. An infidelium libri legendi sint?

R. Dist. inter libros in quibus artes impia & vanæ continentur; Qvales fuere, de qui-

de quibus *Act. 19: 19.* legitur. Et libros historicos, philosophicos, & poëticos, in quibus multa bona reperiuntur, malis admixta, quorum librorum lectio erit moderata, ne utiliores negligentur.

Q. VII. An Evangelistæ & Apostoli mandato ipsius Dei scripto comprehenderint verbum Divinum?

R. Id multis Scripturæ dictis probatur, leg. *Joh. 21: 24. 1: Joh. 1: 4. Apoc. 1: 19.* Hinc dicitur *πᾶσα ἡ γράφη τῶν προφητειῶν*, *2. Tim 1: 16.*

Q. VIII. Quis in controversiis religionis & fidei Judex sit?

R. 1. Summus & Principalis Judex est ipse DEUS, sed cum DEUS lucem inhabitet inaccessiblei, voluntatem suam in Scriptura Sacra nobis manifestavit, ergo verbum ejus infallibilis est vox Judicis: Hinc Christus ad Scripturam remittit, *Luc. 16: 29. 31.*

2. Quia DEUS Ecclesiæ verbum suum commendavit, eamque custodem illius posuit, hinc dicitur *columna & firmamentum veritatis*, *1. Tim. 3: 15.* Itaque Judex est ministerialis, ut secundum Scripturam in articulis fidei judicet, quod officium Ecclesie Doctoribus præcipuè competit, quod illi sacrorum mysteriorum œconomi sunt, Non tamen exclusi

exclusis auditoribus, omnes enim christiani jubentur scrutari scripturas, Job. 5:39. & cavere à Pseudopphetis, Matth. 8: 15.

Q. IX. Sunt ne traditiones attendenda?

R. Neg. unica Norma controversiarum est Scriptura Sacra, & quæcunqve adducuntur præter verbum DEI fallibilia sunt: Ideoque unicè ad Scripturam Sacram ceu normam revocamur, Deut. 4: 2. Esaj. 8: 19. Ad quam etiam ceu regulam provocarunt unicè Christus & Apostoli, Matth. 4: 10. Joh. 5: 39. Act. 3: 25.

Q. X. An verbum DEI lectum aut prædicatum sit efficax conversionis medium?

R. Aff: Quia (1) Quod perfectum est, Psal. 19: 8. (2) convertit animas, sapientiã præstat parvulis, letificat corda & illuminat oculos, Psal. 19, 9. 10. 11. (3) vivificat, Psal. 119: 50. (4) fructificat, Esaj. 55: 11. est ignis & malleus, Jer. 23: 29. (6) Potentia DEI ad salutem omni credenti, Rom. 1: 16. (7) penetrabilior omni gladio, & vivus sermo DEI, Hebr. 4: 12. (8) medium fidei, per quod creditur, Job. 17: 20. quo audito corda hominum ardere incipiunt, Luc. 24: 32. & compungi, Act. 2: 37. illud est efficax conversionis medium: At

tale est verbum DEI, quod clara Scripturæ dicta jam citata, evincunt: ergo:

Q. XI. *Quomodo cum fructu legenda sit Scriptura Sacra?*

R. Legenda est Scriptura Sacra i crebris suspiriis ad DEUM, pro illuminatione Spiritus sancti.

2. Mente humili, ut cogitemus divinam Majestatem ad nos loqui.

3. Animo discendi, & ex scripturis sensum dictorum hauriendi: & faciendi.

4. Proposito firmo captivandi intellectum sub obsequium fidei, licet videantur in ea rationi minus congrua.

5. Spiritu ferventi, non osculanter & animo peregrinante.

6. Frequenter & assidue: non enim sufficit semel atq; iterum S. S. legisse.

Q. XII. *Quomodo ergo quis feliciter ac facilliter in lectione Scriptura versari possit?*

R. 1. Dispescenda est S. Scripturæ lectio in matutinam & vespertinam: Matutinæ assignandi sunt libri *Dogmatici*, qui majorē attentionem, quæ manè in nobis viget, requirunt, vespertinæ autem lectioni libri *Historici*.

2. Cum totius codicis sacri sint 1330. Capita ex his si duo capita quis legerit manè & duo vesperi, 333. diebus integra Biblia legendo absolvet: Superstites adhuc habet de anno dies 32. Si forte propter negotia ex improvise objecta lectionis pensum non posset absolvere.

3. Ad manum habeat memoriale biblicum, ex quo ante & post capitis lectionem summam capitis memoriæ infiget. Dicta insigniora lineolâ subductâ vel asterisco in margine diligenter notet.

Q. XIII. Cum verbum Dei sit efficax, (Q. 10.) qui sit, quod multi sine fructu illud audiant?

R. Verbum Dei semper est efficax *Actu primo*, (vid. S. Script. momenta Q. 10.) sed quod apud omnes non fructificet, in causa est illorum torpor, ascitantia & negligentia, (*repet. quæ dicta sunt ad Q. XI.*)

Q. XIV. An sufficienter probari possit Deum ejusq; Verbum toti mundo esse manifestatum?

R. Aff. quia (1) Nemo ob ignorantiam se coram Deo excusare potest, quod solidissimis argumentis probat Apostolus *Rom. 1:20. & 2:15.* & quomodo naturâ duce & universi hujus consideratione ad Deum quæ-

rendum & colendum ducamur, idem Apost. luculenter demonstrat, *Act. 17: 27.* seqq.

2. Prima promissio Evangelica (*Gen. 3: 15.*) in *Adamo & Eva* toti genere humano declarata est, cui hominum ingratitude & contemptus nil quicquam derogare potest.

3. Post diluvium *Noachus* toti quoque Generi humano concionatus est, quod autem posterius eius conciones ejus susque deque habuerint, nec propagarint, Deo gravem reddituri sunt rationem: sic concionatus est *Abraham* & ceteri patriarchæ, *Moses*, *David*, & *Prophetæ*.

4. In Novo Testamento *Christus* Apostolos suos in universum mundum ire jussit ad prædicandum Evangelium, *Marc. 16: 15.* quod etiam prædicatum est in toto orbe terrarum, *Marc. 16: 20.* *Col. 1: 23.*

5. Licet majores per incuriam & ingratitude amiserint verbum divinum, nec illud ad posteros propagarint, posterius tamen non excusantur, cum exoptatissimam habeant occasionem quærendi Evangelium, cujus fama in universo mundo, etiam in ipsa *India*, *Tartaria*, *Persia*, *Turcia*, &c. Longè latèque sparsa & promulgata fuit,

Q. XV. An corruptus sit Textus Hebræus librorum Vet. Testamenti?

R. Neg. contra Pontif. 1. Non enim permisit immensa Dei Bonitas & omniscia ejus providentia, ut sacra hæc monumenta corrumperentur, in quibus cognitionem sui ad Salutem generi humano unice necessariam revelavit.

2. Scripturam propheticam Esajæ semper mensuram Deus ipse promisit, *Esa. 30: 8.* & *Christus Matth. 5: 18.*

3. Dicitur non potest, qua sollicitudine & circumspectione, ne dicam superstitione, judæi volumen legis, quod in Synagogarum archivis ad solennes lectiones asservabatur, describi curaverint: Nam non omnis Membrana, non quodvis Atramentum sacro huic operi idoneum censebatur.

4. Adventante iam Christo in carne, prælegebantur *Moses & Propheta in Synagogis singulis Sabbatis, Act. 15: 21.* & suos auditores ablegavit *Christus ad sedentes in cathedra Moysis, ut eos audirent. Matth. 23: 23.* Imò ipse *Christus textum hebræum è Bibliis legit & explicuit, Luc. 4: 16. 17.*

5. *Christus & Apostoli Doctrinam suam*

ex textu hebræo Vet. Testamenti comprobant, *Luc. 24: 25. seq. &c*

Si aliquod *σφάλμα* tythetarū incuriā & correctorū negligentia irrepserit, in hujus vel illius editiōis codices, illud ex notis masoreticis facilè tollitur & textus integritati restituitur

Q. XVI. *An textus Græcus N. Test. ad nos pervenerit integer ac incorruptus?*

R. Aff. Id enim evincit omniscia DEI providentia, quæ non permisit, ut corrumpentur libri, quos religionis Christianæ Cynosuram esse voluit, idque per piorum Doctorum industriam in asservando & vindicando Textu Græco authentico.

Nec hic neganda particularia quorundam codicum *σφάλματα* & diversas diversorum codicum lectiones, ex crebra transcriptione ortas; quæ tamen conciliantur, & q. ad lydium lapidem probantur per Exemplarium antiquorum & probatorum fidem, scripturæ conformitatem, fideique analogiam, & syriacam paraphrasin seu versionem.

Q. XVII. *An Scriptores sacri uspiam errarint?*

R. Neg. Quia neque in Historia Sacra condenda, neque tradenda DEI essentia & voluntate uspiam errarunt; *Spiritus enim*

sanctus

sanctus duxit eos in omnem veritatem, Job. 16: 13. Hinc dicitur *ἡ ἀλήθεια γεγενῆσθαι ἐκ τοῦ ἁγίου πνεύματος.*
 1. Tim. 3: 19. & *acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti DEi homines, 2. Pet 1: 21.*

Quod Gal. 2. 11. 14. legitur de Petro, intelligendum est non de errore in Doctrina, sed conversatione, nam edoctus satis de libertate Christiana, Act. 10: 11 - 15. Intempestivo tamen studio vitandi scandali Judæorum, subducit se gentilium conversationi & Judæis se adjungit.

Q. XVIII. *An perfecta sit Scriptura Sacra?*

R. Aff. Quia sufficiens & perfecta est Scriptura Sacra ad definiendum & determinandum omnia, quæcunque nobis ad veram Dei & voluntatis ejus cognitionem, cultum divinatorum observantiam, & vitæ æternæ consecutionem sunt necessaria. *Recolantur argumenta, quibus dilucidè hæc probat Hassenr. in LL. CC. de Scriptura Sacra.*

Non ergo admittendæ sunt *traditiones*, quæ sunt figmenta Pontificiorum, quibus suos errores palliare satagunt.

Q. XIX *An quidam libri canonici perierint?*

R. Dist. inter codicem & canonem biblicum; Ex codice licet periisse quosdã

libros concedamus, ex canone tamen nullos periisse certum est. Atque ita defectum passa est non fides salvica, sed Historica. Quæ obijciunt Adversarii, levia sunt, & facili negotio refutantur.

Q. XX. Est ne Script. S. perspicua?

R. De scripturarum perspicuitate testantur plurima dicta, *Psal. 19: 9. & 119. 105. Job. 5: 39: &c.* Si verò aliqua difficultas legenti scripturas suboritur, tollēda est illa regulis tam generalibus quam specialibus ab ipso Hassenrefferro in LL. CC. monstratis.

Q. XXI. An etiam Laici ad Sacra Scripturae lectionem admittendi?

R. Non tam admittendos, quàm admissos, invitatos & certis mandatis ad Sacram Scripturam adstrictos esse, evidentibus rationibus probat idem Hassenr. quæ rationes omninò sunt recolendæ.

Q. XXII. Sed unde habeant Laici S. Biblia, cum plerique sint pauperiores?

R. Danda est opera, ut æquo pretio vendantur Biblia, cuique nationi vernacula; admonendiqve sunt pij auditores ut illa coemant, quæ sunt omnium possessionum præstantiss.

stantissima, toti familiæ utilissima, & piis posteris hæreditas maximè grata.

Q. XXIII. Sufficit ergo lectio privata, intermissâ publicâ verbi auditione.

R. Minimè. Quia (1) ordinavit ipse DEUS, ut sint qui doceant & qui docentes audiant, Rom. 10: 5. Ergo (2) non deserenda est congregatio Heb. 10: 25. (3) illam anxie optat David, Psal. 42: 5. & (4) infelices prædicat captivos in Babylone, ob negatam copiam celebrandi sacra, Psal. 137: 4. seqq.

Q. XXIV. Quomodo juvandi sint qui lapsibus sanctorum in S. Scriptura annotatis, offenduntur?

R. 1. Sanctorum exempla sunt annotata ad vitanda non ad imitanda mala: lapsus majorum sint tremor minorum.

2. Sermones DEI sunt puri, Psal. 12: 7. & 19: 8. seqq. & faciunt ad informationem, 2. Tim. 3: 16.

3. Mundis omnia sunt munda, Tit. 1: 15.

4. Regula est: Ego DEUS sum Sanctus; Ergo vos sancti esse debetis, Lev. 19: 2.

5. Illi ergo qui sanctorum lapsibus offenduntur, produnt suam malitiam, quod sint ἀμαρτῆς καὶ ἀσέβηκτοι, 2. Pet. 3: 16.

SECTIO II.

DE CATECHISMO.

Q. I. Unde dicatur CATECHISMUS.

R. Dicitur à verbo Græco *κατηχέω*, resono, hinc *κατήχησις*, sonus est reciprocus: q. vicissitudo interrogationum & responsionum: solebant enim pastores in primitiva Ecclesia iis, qui baptizādi erant, fidei Christianæ mysteria & prima religionis fundamenta, in certas questiones ac Responsiones digesta viva voce proponere, & explicare, & à rudioribus viva voce recipere & q. sono reflexo rursus exigere. Quo sensu vocab. *κατηχέειν* usurpatur *Luc. 1: 4. Act. 18. 25. & Gal. 6: 6.* hinc *Catecheta* dicebantur, qui Catechismum docebant, & Catechumeni, qui docebantur.

Q. II. An idem Mos adhuc sit retinendus? an verò ex libris expeditius doceatur Catechismus?

R. Sunt qui antiquum modum Catechizandi præferunt, cum audiendo citius percipiuntur ea, quæ proponuntur, & occasio detur Catechumenis interrogandi ea, de quibus dubitant;

Sed cum memoria sit fallax, & fortè tædium obrepit Catechetas eadem toties repetendi; Committentes rudioribus proposita

posita Catechumenis inculcanda, undè perperam eadem ediscunt; Longè ergo præstat ex libris Catechismū discere, ex quibus rectè & expedite eundem percipere possunt discentes, & si quid oblivioni, ut non rarò fit, traditur, statim ad librum recurritur, hinc deprædicanda est pia & provida *S. R. Maii, tis* Cura de pædagogis in quavis Ecclesia etiam rurali constetuedis. *Ord. Eccl. cap. 24. §. II - pag. 175. & §. 31. pag. 186.* Quod cum factum sit, agnoscenda est pastorum Obedientia, fervor & æmulatio, qui non sinunt ullum pagum, & familiam sine informatione domestica & quidem ex libris, qui certè fervor tam docentium quàm discencium verget in Dei ter Opt. Max. gloriam & Ecclesiæ exædificationem: Estq; visitatoribus maximo oblectamento.

Q. III. Quid sit Catechismus?

R. Catechismus est institutio de præcipuis Christianæ religionis capitibus vivâ voce facta. Vel est brevis summa capitum ebristiana religionis ex verbo DEI hausta, per quæstiones & responsiones proposita & ediscenda. Namq; Catechismus est q. succus & medulla verbi divini, vel ut ita loqui liceat, q. quinta essentia

essentia, vel alvearium, in quo dulcissima quæq; ex pulcherrimis S. Scripturæ floribus extracta continentur: Manet enim Sacra Scriptura Norma & fidei nostræ certissima regula, cui per se creditur; Catecheses autem sunt q. secundarium fidei symbolum, Ecclesiis necessariæ, quibus creditur quatenus cum Scriptura Sacra congruunt, è qua ceu rivuli è fonte purissimo sunt deductæ.

Q. IV. Quot & quæ sunt capita Catechismi?

R. Capita Catechismi seu christianæ religionis alii quinque constituunt, nimirum; 1. Decalogum, 2. Symbolum Apostolicum, 3. Orationem Dominicam, 4. Baptismum, & 5. Cœnam Domini, ad quam referunt Confessionem, tanquam præparationem ad Cœnam Dominicam.

Alii sex numerant, constituentes confessionem partem quintam inter Baptismum & Cœnam Domini: Sed res eodem recidit, modo simplicioribus rectè inculcetur.

Q. V. Quæ sit commodissima Methodus Catechismum pro concione proponendi?

R. Commodior Methodus & simplicioribus, auditoribus accommodatior dari non

non potest, quàm si Textus prælectus, (1) simplicissime quoad verba & sensum enucleatur, (2) explicatio B. Lutheri dictis S. Scripturæ stabiliatur, (*Consul. Catech. Aboæ Anno. 1666. evulgatus*) & (3) Usus brevissime annectantur de tempore Catechismum proponendi & examinandi, vid. in ord. *Eccl. Cap. 2: §. 9. 10. Pag. 21. seqq.*

Non tamen omittendus est pius ac laudabilis mos, circa tempus Paschatos, Catechismum examinandi quod apprimè necessarium est.

Q. VI. Sint ne & aliæ quæstiones superaddendæ?

R. Aff. quia à Cordatis V. D. Ministris non sine magno emolumento etiam aliæ quæstiones simplices ac piæ, captui auditorum accommodatæ, explicationi B. Lutheri sunt additæ; ut quoqvo modo piæ animæ ad cognitionem Dei, & æternæ salutis ducebantur: & cum in variis diœcesibus variæ sint hæ quæstiones Catechetiæ, speramus eas propediem ad uniformitatem posse redigi.

Q. VII. An alij textus ad Capita Catechismi sint applicandi?

R. Aff. est enim Catechismus brevis summa

ma succus & nucleus eorum quæ sparsim in S. Scriptura continentur : ubi ergo fert occasio Textum aliquem biblicum dilucidius explicandi & amplificandi, appositè ea quæ exponuntur, ad capita Catecheseos applicantur, potest etiam indicari in exordiis ante textus distributionem ad quam Catecheseos partem dicenda petinent. Conf. Ord. Eccl. Cap. 2. §. 2. pag. 10.

Q. VIII. Quid Tenendum sit de Symbolo Apostolico ?

R. Symbolum dicitur à *συμβάλλειν*, quod plures conferant in unum, & est q. sententiarum & capitum fidei collectio, est aliàs Symbolum tessera vel signum, quo vel milites dignoscuntur ab hostibus; vel pacta inter contrahentes confirmantur: Sic per confessionem fidei quis se Christianum confitetur, & fideles se mutuo ex eadem cognoscunt & ab infidelibus separantur.

Apostolicum dicitur, non quod Apostoli ante exitum in totum mundum illud composuerint, quia id firmis rationibus probari non potest; sed quod contineat doctrinam ac fidei articulos, quos Apostoli docuerunt, undè inter scripta Ecclesiastica præcipuam habet

bet authoritatem, & ejus confessores veri Christiani nominantur.

Q. IX. *An simplex homo omnes fidei Articulos nosse teneatur?*

R. Aff. quo ad substantiam Articulorum fidei, quam omnis Christianus tenere debet, licet subtiliores explicationes & quæstiones non teneat, modo iis non expressè contradicat. Et cum Christus vitam æternam ponat in agnitione sui & Patris Cœlestis *Job. 17:3.* Ergo maxima & indefessa sit cura parentum, tutorum & patrum familias in fideli ac salutari institutione teneræ ætatis. *Eph. 6:3.*

Q. X. *Quanam sit Cura V. D. Ministri circa hanc informationem?*

R. Fideles Verbi Divini ministri juxta catalogum, quem accuratum habebunt, omnium animarum in Ecclesia sibi concredita, sedulò inqvirent inter cætera quomodo ætas puerilis educatur *εν νηθεσία κυριου*, conf. ord. Eccl. C. 24. §. 22: pag. 181.

2. Si desidiam aliquam offenderint in parētib; & aliis curatoribus non desistent eos admonere sui officii, juxta illud *1. Tim. 5:8.* primaria autem cura erit animæ, quæ præstantior in homine pars est. 3. Ad-

3. Adhibeant indefessam suam curam in informandis non tantum pueris, sed & omnibus Ecclesiæ membris, juxta Q. 5.

4. Nec molesta videbitur hæc animarum cura: Ad quam nos instigabit. (1) ipsum Juramentum in ordinatione præstitum.

(2) Vigilia pro animabus auditorum, & ratio reddenda, *Hebr.* 13. 17. *Ezech.* 3: 18.

Notanda hæc est Admonitio *Chrysostrami*, quæ gravis est: *Quanta hæc est difficultatis, quod alii peccant hoc Presbytero imputatur: Si unius anime pereuntis reddenda sit Ratio, quanto magis plurium animarum quæ pereunt. Expergiscemini ergo, ô expergiscemini, qui tam perfunctorie in officio sacro versamini: Expendite illud salvatoris: Ille, ille servus, qui cognoscit voluntatem Domini sui, & non se preparavit, nec fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis!*

(3) Larga & gratuita retributio, *Dan.* 12: 3

Q. XI. *Quid de baptizatis quidam, sed ab ortu surdis sentiendum?*

R. I. Christus totum mundum reconciliavit, cujus reconciliationis participes facti sunt per Baptismum, qui autem in illis bonum Opus capit, perficiet usque in diem *Jesu Christi:*

2. Illud

2. Illud dictum, *Fides est ex auditu*, non obligat illos, quos DEUS surdos voluit ex sapienti consilio.

3. Interim crebrò in Cœtum sanctorum sunt adducendi, & publicis precibus DEO commendandi. Danda quoque opera, ut cum piis conversentur, ne prava conversatione corrumpantur, & concupiscentiis carnis spiritum in baptismo datum excutiant.

SECTIO III.

DE RELIGIONE, quæ reservatur

Articulo sequenti

ARTICULUS II.

DE DEO

Sectio I. de DEO, Attributis divinis & Personis;

Q. I. *Quomodo probari possit reverà esse Deum.*

R. I. Ex libro *nature*, qui cordibus hominum inscribit, reverà esse DEUM.

2. Ex libro *Scripturae*, dictis & miraculis; Utrumque videatur in LL. CC. Hassenr.

Q. II *Quomodo excitandi sint, qui conque-
runtur, se rarò & frigidè de Deo cogitare?*

C

R. I. Co.

R. 1. Cogitent DEUM esse qui nos cibet vestiat, & omni benedictione temporali & spiritali augeat & ornt. 2. DEUM esse omniscium, qui cogitata nostra cognoscat: Omnipotentem, justum, qui de hac negligentia pœnas repetere possit ac velit, & neglectum sui puniat in hac & futura vitâ.

Q. III. *An gentiles ex lumine naturæ veram veri Dei cognitionem habuerint?*

R. Habuerunt Ethnici ex lumine naturæ aliqualem veri Dei notitiam, *sc. quod sit* (Q. 1.) *& qualis sit*: nimirum bonus, justus, verax, omnipotens, &c. idque ex testimonio proprii cordis & Conscientiæ, Rom. 2: 15. *& operibus Creationis*, Rom. 1: 20. unde dicuntur ἀναπολόγητοι. Sed quid sit Deus, nempe Pater, Filius & Spiritus Sanctus, non noverunt.

Q. IV. *An saniores Ethnici ex hac qualicumque Dei noticia salutem æternam adepti sint?*

R. Neg. Quia caruerunt verâ notitia salvatoris & fide in eum salyificâ, cum *in alio quoquam non sit salus, quam in Christo JE-
su*, Act. 4: 12. *Et sine fide impossibile est placere Deo*, Hebr. 11: 6.

Q. V.

*Q. V. An Christianorum infantes habeant Dei
Cognitionem?*

R. Aff. 1. Ex 1. *Job. 2: 14. Scribo vobis infantes, quia cognovistis DEUM; Παιδία* sunt, qui opus habent nutrice, quâ gestantur & curantur. Alibi dicuntur *Βρέφη, quales Christo offerebantur in ulnis, Luc. 18: 15. 16.* Hujusmodi infantes in Baptismo verè regenerantur, & in filios Dei adoptantur, dicuntur enim in Christum credere, *Matth. 18: 16. recipere regnum DEI, Marc: 10: 25. laudare DEUM, Psal 8, 3. placere DEO, Matth 19: 13. seq.* Id quod sine cognitione DEI & absque fide fieri nequit, *Hebr. II: 6.*

2. Habent Christianorum infantes fidem actualem ex operatione Spiritus S. per baptismum, qui veram Dei agnitionem in illis operatur. Quemadmodum sanctificantur sine sensu sanctitatis; Ita & suo modo cognoscere possunt Deum, & credere sine sensu fidei.

Q. VI. An Mysterium S. S. Trinitatis in V. T. fuerit cognitum?

R. Aff. quia 1. aliàs Scriptura V. T. non esset perfecta, nec perfectè nos ad salutem instruere posset, quod est contra illud Christi *Job. 5, 39. & Pauli 2. Tim. 3, 15, 16.*

2. Christus & Apostoli fidei capita ex V. T. probarunt quibus ora judæorum obturarunt, *Matth. 22: 44. 46. Act. 10: 43. & 18: 29. sic de Personarum pluralitate, Gen. 1: 26. & 3: 22. & 19, 24. De S. S. Trinitate, quæ patet è Benedictione, Num. 6: 24. è Trisagio, Esa. 6: 3. de Deitate Christi, Psal. 45, 8. Jer. 23, 6. de æternâ generatione, Psal. 2: 7. de Redëptione, Job. 19: 25. Esa. 53: 2-12. &c.*

Q. VII: *An attributa Dei, cum ejus simplicitate pugnent?*

R. Neg. Longè enim alia ratio est potentia, sapientia, bonitatis & aliorum Attributorum in Deo, quam in Creaturis: in his, puta, Angelis & hominibus qualitates sunt & accidentia, sed non in Deo: sed Attributa seu propria sunt, & quidem talia, quæ non inhærent Essentiæ ceu subjecto, sed cum essentia divina simpliciter *τὸν* sunt, realiter unum, sed ad creaturas relata, distinctionem patiuntur, ita ut Dei justitia non sit ejus misericordia, &c.

Hæc doctrina fundamentum habet in sacris, DEUS enim dicitur immutabilis, *Jac. 1, 17.* & scriptura *abstractivè* de DEO loquitur: vocatur enim ipsa *Charitas*, *I. Job. 4, 2.* ipsa *vita.* *Job. 14: 6.* & quidem propriissimè, quia cum

cum Dei 'essentia unum & idem sunt: ita Bonitas in Deo non accidens aliquod, sed ipse DEUS est.

Q. VIII. Quomodo ergo Scriptura tribuat Deo affectum, misericordiam, iram, &c. Cum sit immutabilis?

R. Hi in Deo non sunt veri affectus, sed effectus: & tribuuntur Deo ἀνθρώπων ἕνεκα, sed intelligendi sunt θεοῦ ἕνεκα, mutatio interdum Deo adscribitur, sed non secundum Rei veritatem sed juxta sensum humanum: sicut Sol perpetuò est idem, nullamque experitur mutationem; homines autem calore & luce satis mutantur.

Q. IX An absq; peccato dici possit, Deo quadam esse impossibilia?

R. Ea quæ contradictionem implicant & imperfectionem inducunt, Deo non sunt tribuenda. Huc pertinet Distinctio inter absolutam & extraordinariam Dei potentiam, & modificatam ac ordinariam: Absolutâ potentiâ Deus multa potest, quæ nec vult nec facit, ut plures mundos condere. Ordinariâ enim potentiâ facit omnia quæ vult, Psal. 115:3. vult a. omnia, quæ in verbo promisit, & ad sapientiam & bonitatem ejus congruunt.

Ubi dicitur DEUM non posse contradictoria, tenenda est Regula : *Contradictoria rationis non sunt apponenda verbo Dei* : in quo quicquid promisit etiam præstare potest, licet nobis impossibile videatur : aliàs everterentur omnia mysteria, fidei.

Q. X. *Quomodo omnipotentia DEI sit infinita?*

R. Infinita dicitur Potentia DEI, 1. *In se per se*, seu *suâ Naturâ*, sicut DEUS est infinitus; 2. *respectu objectorum*, quæ adhuc infinita ab eo fieri possent, si sic sapientiæ ejus placeret, 3. *Resp. modo agendi*, quia nunquam tam efficaciter agit DEUS quin efficacius agere possit, si velit. 4. *Resp. materiæ*, quæ DEO nunquam deesse potest.

Q. XI. *Annon temerarii sunt calviniani, quod objecta divinæ potentie coarctent?*

R. Aff. Quia 1. Statuunt DEUM nihil posse contra naturam: *Cum tamen DEO non sit impossibile omne verbum*, Luc. 1: 37.

3. Rectam rationem pro divinæ potestatis mensura agnoscunt, contra illud Eph. 3: 20.

3. Unum corpus, (*dicunt*) non potest simul esse in pluribus locis: Sed illud principium ad mysterium fidei non ascendit :
Quod

Quod n. Christus promisit, *Potens* est præstare.

Q. XII. *Quomodo Homo de Omnipresentia DEI, rectè cogitare, credere & loqui debeat?*

R. Scriptura tribuit DEO adessentiam apud creaturas, quam alii vocant ἀδασια^ν indistantiam, cum ipsis sit præsens, licet ab iis separari possit, *Psal. 145.: 3. Job. 11: 8. 9.*

DEUS itaque præsens est creaturis 1. *sine expansione.* 2. *sine diffusione.* 3. *sine inclusione.* 4. *sine emanatione.* 5. *sine impletione.* 6. *sine partitione.* 7. *sine pollutione.*

Præsentia DEI quatuor sunt Gradus. 1. est δυνάμειος apud creaturas. 2. χάρειⓄ, in fidelibus. 3. ἀυχίμαλⓄ, in sanctis Cœli incolis. 4. ἐνώσειος, inhabitatio sc τῆ ἐλόγῃ in assumpta carne.

Q. XIII *Quomodo convenit cum justitia Dei, quod impiis in mundo plerumq̄ bene sit, piis verò malè: Et liberi portent iniquitatem Patrum, Exod. 20: 5.*

R. Et hoc movet interdum pios, *Leg. Job. 31: 7. 1. seqq. Psal. 73: seqq. Jer. 12, 1. 2. Hab. 1. 13. Malacb. 2: 17.*

Sed cogitemus 1. quod inter sanctos non est innoxius, *Job. 15: 15.* nemini ergo DEUS

injuriam faceret, si vel omnes puniret.

2. Calamitas piorum non propriè *pro Pœna* (quia non est ab irato, sed reconciliato DEO,) sed *pro cruce* seu δοκιμασία habenda est, quâ exercet DEUS fidem & patientiam suorum, & ad æterna gaudia præparat.

3. Felicitas impiorum fallax est, plus n. doloris quam jucunditatis habet, citò transit, & æternis cruciatibus compensatur.

4. Ob parentum peccata actualia non puniuntur liberi, si in ea non consenserint, neque eadem patrarint, *Ezech. 18: 20* Si verò DEUS aliquando parentū calamitatibus involvi sinat pios liberos, ad justitiæ suæ declarationem, in cujus conspectu nemo est innocens, (licet coram mundo sint,) fit id solum in temporalibus, & æternæ illorum salutis nihil derogatur.

Q. XIV, *Quomodo de S. S. Trinitatis Mysterio rectè informari possimus?*

R. Tremendum S. S. Trinitatis Mysterium, cujus notitiam etiam habuerunt in Vet. Testam. non oportet nos rimari, sed simpliciter credere & admirari: Nempè quod sint in una Essentia Divina, Tres distinctæ Personæ: Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Pater ab æterno genuit filium: Filius ab æ-

terno genitus est à Patre: Et spiritus sanctus à patre & filio ab æterno procedit.

De hisce quæ sparsim habet Scriptura Sacra, Bb. Patres & fusè omnes Theologi, breviter & nervosè comprehendit Hassenrefferus, additis symbolis, Necæno & Athanasiano: Quibus accuratè informari possumus in hoc fidei articulo, & contra adversariorum deliria nos munire.

Q. XV. Quid præterea de christo nobis sciendum est?

R. De Christo ejusque officio, præcipuè mediatorio, in plurimis fidei articulis agendum erit, imprimis in articulo IX. qui est de christo *Ἰεσὺς Χριστὸς*.

Q. XVI. Quid ulterius de tertia Persona S. S. Trinitatis dicendum est?

R. Meditatio de spiritu sancto etiam per multos fidei articulos se diffundit, quia per eum applicatur reparatio generis humani, in verbo DEI, præsertim in Euangelio, in sacramento Baptismi, in sacramento Cœnæ, ut in seqq. patebit.

SECTIO II.

DE CULTU DIVINO SEU RELIGIONE.

Q. I. *Quenam ad cultum Divinum requirantur, ne aliqua ejus pars omittatur?*

R. Cultus divini interni duo sunt actus, devotio & submissio. 1. *Devotio*, cum homo omnes cordis sui cogitationes, voluntaris Desideria, motus & affectus ad DEUM solum dirigit, ipsiqve totus adhæret, *Psal. 73: ult.* & complectitur tres cardinales virtutes: Fidem, Spem, Charitatem.

(1) *Fides* innititur simplici DEI verbo & promissioni, leg. *Rom 4: 17. - 22.*

(2) *Spes* est expectatio futurorum bonorum, quâ anima hominis in dilatione auxilii divini erigitur, Fides alitur, sollicitudines minuuntur, *Rom. 8, 24. 25.* Et hæc Spes dicitur tuta & firma animæ Anchora, *Hebr. 6: 19.*

(3) *Charitas* seu amor, quo DEUS omnibus rebus præfertur, *Deut. 6, 5.* vid. præcept. 1. Decalogi.

2. *Submissio*, quâ homo se totum DEO submittit, ex consideratione suæ vanitatis & Dei Majestatis; *Esaj. 4, 15.* hæc animi submissio continet quatuor virtutes: Scilicet timorem, patientiam, invocationem & gratitudinem.

(1) *Timor* DEI, de quo in præcepto 1. Decalogi.

2. *Patientia*, cum verâ animi humilitate sustinemus adversa, scientes quod dextra DEI omnia mutare possit, *Psal.* 77, 11.

(3) *Invocatio*, cum inenarrabilibus suspiriis ærumnas nostras in sinum DEI effundimus, auxiliumq̄ve patienter expectamus, vid. art. de cruce & precibus.

(4) *Gratitudo*, quâ DEUM verè timentes, tam in adversis quàm prosperis DEO gratias agimus, *Job.* 1, 21. *Psal.* 116, 12. 13.

Q. II. *An DEUS rectè timeatur ob metum pœnarum?*

R. Oderunt peccare mali formidine pœnæ, oderunt peccare boni virtutis amore, ut habeant DEUM sibi propitium. *vid art. XI. sect. 1, Q. II.*

Q. III. *Potest nè una Persona Trinitatis, non nominatâ alterâ, divino cultu affici?*

R. Aff. Perinde enim est ad quam Personam preces nostras, &c. dirigamus, dum modo nullam â fiducia nostra excludimus. Sic modo Patrem, modo Filium, modo Spiritum Sanctum invocamus & honoramus, propter beneficia illa divina, quæ omnibus tribus Personis Communia sunt; Licet καὶ ἐξοχῆν creatio, protectio & defensio patri;

tri; Redemptio & mediatio *Filio*, sanctificatio & vivificatio *Spiritui sancto* in Sacra Scriptura tribuatur.

Q. IV *An humana natura in Christo divino cultu recte à nobis honoratur?*

R. Aff. Quia una est adoratio Christi, quam S. Scriptura nobis monstrat, quia λόγῳ per essentiam, assumptæ carni per unionis gratiam competit: Neque humana Christi natura extra λόγον usquam ullo modo coli potest.

Q. V. *An cura vera Religionis, in qualibet benè constituta Rep. sit necessaria?*

Aff. Quia 1. Religio vera est fundamentum civitatis, origo justitiæ & honestatis. *malè enim vivitur, si de Deo non benè creditur*, inquit *Augustinus*.

2. Est vinculum legum & honestæ disciplinæ: Quia Reverentia Numinis multos in officio continet, quia alias profligato omni pudore, quamvis patrarent turpitudinem.

3. Est causa benedictionis divinæ, & pro ut Deum curamus; ita & curamur ab illo. *2. Paral. 15: 2. Dominus erit vobiscum, si fueritis cum eo.*

Q. VI. An magistratus possit subditis suis bonâ conscientia imponere juramentum Religionis?

Aff. 1. Quia sic fidei integritas, & Ecclesiæ tranquillitas conservatur, seminandis turbis ac erroribus occasio præscinditur, & hypocrisis larva detrahitur.

2. Exempla hujus juramenti extant in literis sacris. David, Psal. 119:106. juravi, inquit, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Moses & Josua, sub juramento Israelitas adigunt, ut transirent in fœdus Domini. Deut. 29:9-15. Jos. 24:15-27. Josias novo fœdere subditos ad religionem custodiendam adstrinxit 2. Reg. 23:2. 3. conf. Nehem. 10:29. 30.

Q. VII. An veræ religioni addicti possint fœdus sancire cum diversæ religionis hominibus?

Aff. Si fœdera sint politica inita 1. defensionis causâ 2. Contra infideles. 3. ob communem tranquillitatem & Reipublicæ salutem. (sed cavendum ne fœderibus adhæreat fiducia in auxilium humanum.)

Sic iniiit Josua fœdus cum Gibeonitis. Salomo cum Hiram, 1. Reg. 5:12. Judas maccabeus cum Romanis, 1. Maccab. 8:20-32.

Q. VIII,

Q. VIII. *An alienæ Religioni addicti expellendi sint è Republ. pacata?*

R. Dist. inter seducentes & seductos : *Seducentes* non tantum ipsi errant, sed & alios turbant, 2. *Tim.* 2. 18. Hi monendi sunt & si nihil proficitur, Expellendi sunt. *Tit.* 3:10: *Seducti* vero neminem turbantes ferendi sunt, & monendi ut sacra nostra invisant, & errorem ex animo deponant, leg. *Rom.* 14:1. & 15:1.

Q. IX. *An plures & diversæ religiones in Republ. sint admittende?*

R. Neg. 1. Quia Deus non nisi unam Religionem in verbo suo hominibus præscripsit; extra quam impossibile est Deo placere, *nulla enim est Communio luci cum tenebris, Christo & Belial.*

2. Ob falsæ religionis exercitium Reges puniti leguntur, ut *Azarias*, 2. *Reg.* 15:4. *Achab*, 1. *Reg.* 18:21. &c.

3. Magistratus cum sit Custos utriusque tabulæ Dicalogi, obligatus est ad veram religionem, quæ non nisi una est, propugnandam.

4. Unitas Religionis est vinculum pacis & concordia inter subditos, ex dissensione verò religionis nascuntur odia, atrocità & gravia dissidia.

§. Per

5. Per falsam Religionem subditi à vero Dei cultu in errores seducuntur, & in æternū damnationis barathrum præcipitantur. Meritò ergo gratulamur nobis & Patriæ nostræ, in qua unica tantum eaqve vera viget Religio, quam sartam tectam servet DEUS in infinita secula.

Idem DEUS ter Opt. M. servet Regem nostrum Clementissimum, ejus propugnatorem & protectorem fidelissimum.

Q. X. *Quomodo Religio vera conservari & exerceri possit?*

R. Id verè contigit, uti 1. fideles *Verbi Dei Ministri* purè verbum DEI docent Legitimè sacramenta administrant: Attendant Gregi, ne falsi Fratres irruant in ovile Domini, informant & castigant mores auditorum: Solantur tristes: Omnia salutis obstacula impediunt, prout Timotheum & Titum informat Apostolus, & Pastores Ephesios, *Act. 20. 28.* Pro populo orant, *1. Sam. 12, 13.* Ad pœnitentiam hortantur, *Joel. 2, 12. seqq.*

2. *Pius Magistratus* veram religionem & ad posteritatem propagare studet: Idoneos Eccesiæ Doctores constituit: Scholas utiles

utiles erigit: Docentes in Ecclesia & Scholis honestè sustentat, ne famem ministrorum ipsius verbi Divini famas sequatur, hæreticos coercet, &c. Idque (1) *Ob Divinum mandatum*, (2) *Officii sublimitatem*, est n. Custos utriusque tabulæ, & Pastor populi *Esaj. 44, 28. Jer 49, 19.* (3) *Exemplum Josue, Jos. 24, 14. seqq. Davidis, 2. Sam. 8, 11, Salomonis 1. Reg. 8, 1. seqq. &c.*

3. Patres Familias DEum timent: Suos in vera fide & pietate instituunt: Domum ab omni impietate mundant. ut hunc scopum obtineamus, requiritur ab omnibus (1) *Ardens precatio*. (2) *Bibliorum lectio & meditatio*, (3) *V. divini auscultatio*: (4) *operum vocationis assidua Vacatio*. (5) *qualibet vespera diligens examinatio*

Q. XI. Undè certi esse possumus, Religionem nostram esse veram?

R. De religione nostra Lutheræ certinâ esse possumus, quia non admittimus aliud verbum, tanquam aptam fidei & morum Normam, quam quod Prophetæ & Apostoli reliquerunt. *Deut. 28, 58. seqq. Job. 5, 39. Epb. 2, 20. seqq.*

2. Aliud salutis fundamentum non agnoscimus

gnoscimus quàm Christum Jesum, *Matth.*
16, 18. 1. Cor. 3, 11.

3: Sacramenta nec plura, nec pauciora
 usurpamus, quam Christus instituit, quæ
 verbo sunt annexa.

4. Nec ullis nostris operibus & meritis fidi-
 mus; Sed soli gratiæ divinæ & merito Christi
 omnem nostram præsentis & futuræ vitæ fe-
 licitatem unicè acceptam ferimus, *Luc. 17, 10*
Job. 15, 1. seqq. Rom. 3, 23. 24. 25.

5. Operibus interim bonis, quæ DEUS
 præscripsit, non homines excogitarunt, se-
 dulò operam dandam docemus, juxta il-
 lud Christi, *Matth. 5, 16. & Pauli Rom. 6, 11.*
22. 13. & Jacobi, C. 2, 16. 17. 18.

Q. XIII. Rectè ne à Luthero Lutherani
 dicimur?

R. Ob Evangelii Doctrinam quam unicè
 amplectimur, Evangelici dici amamus; Nec
 tamen erubescimus nominari *Lutherani*,
 quia sequimur Doctrinam, per Lutherum
 ceu divinum instrumentum in lucem addu-
 ctam: Nomen enim Lutheranorum, quod
 ab efficiente minus principali, organica &
 ministeriali, acceperunt Ecclesiæ nostræ, ne-
 mini Christianorum nihil derogat, dum
 convenientia cum Ecclesiâ verè Christianâ &

γνησίως Catholicā in doctrinæ puritate, tanquā partis Homogeneæ cum toto, spectatur.

Sic Sectatores Nicolai à divo Johanne dicuntur *Nicolaitæ*, *Apoc. 2, 6*. Et in veteri Ecclesiâ nuncupati sunt hæretici, *Ariani*, *Nestoriani*, *Eutychiani*, ab Ario, Nestorio, Eutyche, &c.

Q. XIV. Undè factum, quod tempore Lutheri Reformatio tam subito cœpta, per Germaniam & regna septentrionalia sparsa sit, cum prius frustrâ tentata fuerit?

R. 1. Habet DEus suas horas, conf. Act, 1, 7.

2. Prospexit divina Providentia huic negotio singularia adminicula; quorum (a) fuit egregia Bibliorum versio: Quam Franciscus Ximenius, Toletanus Archiepiscopus in Hispania & Cardinalis, nec non Academiæ Complutensis institutor sex tomis edidit Anno Christi 1515. Opus hoc, quod Complutense dicitur, & Ximenio ducatorum sexcenties millies constituisse ferunt, pontifex Leo x magnificis privilegiis munivit, & omnibus maximoperè commendavit, & literatis quasi obtrusit.

(β) In hoc etiam admirabilis DEi sapientia

entia apparet, quod profligata Barbarie, quæ passim invaluerat, Artes liberales & disciplinas unà cum lingvis per homines idoneos excitaverit, & pristino nitore restituerit.

(γ) Multum quoque juvit hoc Negotium verè Divinū, Ars typographica, quæ circa illud tempus magis magisque excolebatur: Adeò ut Catechismus Lutheri typis exscriptus per Germaniam & regna septentrionalia statim mitteretur, quem secuta sunt Biblia, lingvâ Germanicâ, mox Svecanâ & aliis lingvis donata.

Q. XV. Cum Pontificii & Calviniani nobis maxime sint molesti in quibus ergo articulis à nobis discedunt?

R. In multis fidei Articulis à nobis discedunt Calviniani; sed in pluribus Pontificii. Qui errores cum accuratè sint in quolibet articulo notati ab Authore nostro Hassenrefero in L. L. C.C. præmissâ tamen orthodoxia: exinde ergò repetantur.

Q. XVI. An aliqua spes sit reconciliationis, inter nos & hos discedentes, aut per accuratos Commentarios, aut colloquia & disputationes, aut alias amicales transactiones?

R. Non videtur reconciliatio aliqua speranda; quia 1. sæpius tentata est, & quidem sine omni fructu.

2. S. Scriptura prædixit plurimas sectas & hæreses fore ad finem mundi. 1. *Tim. 4, 1. seqq.* 2. *Peł. 2, 1. 2.*

3. Christus ipse positus est in signum contradictionis, *Luc. 2, 34.*

4. Experientia docet, Diabolum omni seculo excitasse *ἀντιλέγοντας*, quos convincendos esse, monet Apostolus, *Tit. 1, 9. conf. Matth. 7, 15. 1. Cor. II, 19.*

Q. XVII. *An omnis conversatio cum hæreticis sit vitanda?*

R. Conversatio sive Societas cum hæreticis est vel *Theologica*, vel *Politica*, illa, quia consistit in consensu fidei, nullo modo est licita. *Hæc* si vitari non possit; Admitti potest sed certis cautionibus; nimirum,

1. Ne quis nimiam & intimam familiaritatem & amicitiam cum illis affectet.

2. Nec quoquo modo in religione cum illis colludat, nec dictis nec factis ipsorum errores approbet.

3. Ad Sacra ipsorum non accedat.

4. Matrimonia cum illis non contrahat.

5. Neq;

5. Neque operam suam navet hæreticis ad propugnandam falsam religionem: Non sit amanuensis, non Tabellarius, &c. Potius officio suo renunciaret & aliò sese conferat, licet non sine dispendio rerum suarum, quã ut persecutoribus veritatis se administrũ præbeat.

Q. XVIII. An Judæi in Ecclesia sint tolerandi?

R. Ex Sacra Scriptura constat, Judæos ita ejectos esse è terra sua, ut nunquam politiam in ea sint recuperaturi; præstat ergo eos sub christiano Magistratu vivere quam sub Turca, ne liberius Christum blasphement, & conversio eorum expectetur; Sed hisce conditionibus tolerandi

1. Ne Os aperiant ad blasphemandum, quod ab infantia didicerunt à parentibus.

2. Tractandi ut servi servorum, cum sit Populus superbus & gloriabundus.

3. Conventicula illorum prohibenda sunt & ad nostra Sacra adigendi sunt, & de Messia probè doceantur, quæ potissima causa est cur tolerantur.

4. Immãnis illa usura illis non est concedenda, quã meritò apud Christianos sunt infames.

2. XIX. *An universalis judæorū conversio ante mundi finem sit expectanda?*

R. Ita sentiunt ex patribus nonnulli, Hieronymus, Chrysostomus, Lyra, Augustinus ex dicto Pauli, *Rom. 11, 25. 26.* Sed Lutherus putat hanc conversionem verè impossibilem; Et qui Lutherum sequuntur has adducunt rationes;

1. Quia Judæi *sub triplici sunt maledictione*, quarum una est a DEO, *Deut. 27, 26.* altera ex proprio illorum ore prodiit tempore passionis Christi, *Matth. 27, 25.* Tertia est imprecatio Christi ex *Psal. 69, 24-30.*

2. S. Johanni in Apocalypsi futurus ante Christi adventum status manifestatus est, de universali Judæorum conversione nulla ibi fit mentio.

3. Paulus 2. *Thess. 2, 3. seqq.* Revelationem Antichristi ultimum facit signum instantis diei Christi; at jam revelatus est *homo peccati, Filius perditionis*, restat ergo finis mundi, quem uniuersalis Judæorum conversio non præcedet.

4. Judæi præconcepto odio Christum persequuntur, omnia salutis media contemnunt; Christum quotidie diris deuovent, & ad Nomen ejus exspuunt in terram, idque etiam liberos facere docent,

5. Dictum Pauli *Rom.* II: 25. 26. taxat Romanorum arrogantiam, qui opinabantur se solos esse populum electum, judæos autem a Regno cœlesti esse alienos, & docet prædestinationem concernere tam gentes quam Judæos credulos, &c.

Q. XX. *An Pontificia Religio sit antiqua, Lutherana v. Nova?*

R. 1. Antiquitas non est regula & præceptum fidei.

2. Religionem *Lutheranam* non esse novam, sed antiquam, probatum est Q. XII.

3. Religio *Pontificia*, licet sit antiqua; novos tamen errores permultos habet; ut est Doctrina de *calibatu clericorum* introducta, Anno 363.

Extrema unctio, ab Innocentio inventa, Anno 404.

Purgatorium, quod Gregorius M. confinxit Anno 600.

Primatus Papæ, quem Phocas Bonif. III. concessit, Anno 607.

Nova dogmata de *missa*, ab Agatho induta, Anno 680.

Invocatio sanctorum, a Stephano II. exco-gitata, Anno 753.

Reliquiarum veneratio, à Paulo I. tradita
Anno 757.

Statuarum adoratio, à Stephano III. ordi-
nata, Anno 768.

Confessio auricularis, quæ capit, Anno 800.

Cultus divinus linguâ Lat. celebrandus, a Ni-
col. I. Anno 858.

De 7. Sacramentis, quæ Lombardus confin-
xit, Anno 1100.

Transsubstantiatio, ab eodem Lombardo tra-
dita Anno 1115.

Hostia Consecratio, inclusio, circumgestatio,
ab Honorio III. 1216.

Indulgentiæ, quas Bonif. VIII. primum ve-
nales habuit, Anno 1300. &c. &c.

Q. XXI. *An ex S. Scriptura probari possit Pa-
pam esse Antichristum?*

R. Papam Romanum esse Antichristum
notæ & γυνεῖσιν Dan. 12: & 2. Thess. 2, 1-10.
expressa, evidentissimè demonstrant.

Est namque Papa I. *Homo peccati & filius
perditionis*, quia Pontifices non solum ipsi
variis sceleribus se inquinaverunt, sed & mul-
ta hominum millia in æternum exitium
præcipitarunt.

2. *Adversarius est*, quia DEO ejusq; ver-
bo se

ho se opponit, præcipua christianæ religionis capita corrumpens, ut de justificatione, conjugio &c.

3. *Super omne id quod DEUS dicitur se extollit, quod sit super omnia & contra Jus divinum dispensare possit.*

4. *DEUM patrum suorum non reputat.* Papa, h. e. antiquam, veram & orthodoxam à Christo & Apostolis traditam religionem contemnit, mutilat, novas ceremonias novosque cultus fingit. vid. Q. præced.

5. *Sedet in Templo DEI,* tyrannicam potestatem in Ecclesiam exercet, Sacramenta profanat, &c. vid. Q. præced.

6. *Ejus adventus est juxta operationem Satanae, in omnibus signis, prodigiis mendacibus, 2. Thess. 2, 9.*

7. *Igne & gladio christianos persequitur, & ebrius fit sanguine martyrum. Apoc. 13, 1. 18. & 17, 1, 2.*

Q. XXII. Quid de monasteriis & Monachis sentiendum?

R. 1. *Monachatus neque ab ipso DEO, neque à Prophetis & Apostolis est institutus sed est merum inventum humanum.*

2. *Neque Doctrina eorum est à Chri-*

sto aut Apostolis, sed à *Dominico, Francisco, Benedicto*, aliisq̄ ineptas regulas præscribentibus.

3. *Vitam* eorum si inspicias, licet præ se magnam ferant sanctitatem, sunt tamen *Lupi rapaces in Vestimentis ovium*, Matth. 7, 15.

Q. XXIII. *An Virgines Religioni Evangelice addictæ possint bonâ cum Conscientiâ Cœnobia ingredi?*

Aff. Si id fiat 1. *liberè* & non coactè. 2. sine opinione meriti. 3. sine voto perpetui cælibatus, 4. ne sanctiores se aliis putent, 5. *pio fine*: Ut DEO serviant orando, psallendo, legendo, verbum DEI audiendo & meditando: Item laboribus suo sexui accommodis vacando. 6. Cum potestate exeundi & nubendi. Extra has cautelas præstat à Cœnobiis abstinere.

Q. XXIV. *Quid de Jesuitis tenendum?*

R. Est ordo, 1. quoad *Nomen fastuosus*, volunt dici Jesuitæ à S. S. Nomine *JESUS*, & Homines è *societate Jesu*, discerpentes Nomen Salvatoris, *JESUS Christus*, omnes quidem fideles possunt dici *Christiani*, Act. 11: 26. sed non omnes *Jesuitæ*. Aliàs omnes Christiani conjun-

ni conjunctim vocantur *societas Jesu*, 1. Cor. 1:9. quæ hæc est audacia, illud quod cunctis competit, sibi solis rapere? (Not. quod Nomen *JESUITÆ* ἀναρχαμμαλιζόμενον sonet, *ite à Jesu.*)

2. Quoad *Originem tenebricosus*; Hujus ordinis primus Author fuit Ignatius Lajola, quem desperatio fecit Monachum.

3. Quoad *Doctrinam factiosus* namque docent *subditos non teneri obedire principi hæretico: Hæretico non servandam esse fidem: Lutheranos quasi turcis nocentiores & deteriores funditus esse extirpandos: Pacem religiosam esse tollendam: In cæteris Religioni Pontificiæ addicti sunt.*

Q. XXV. *An benè faciant Jesuitæ radendo barbam? & an liceat nostris V. D. ministris barbam alere?*

R. 1. Barbisecii Jesuitici finis est, ut sancti illi fraterculi, mulieribus sese immisceant, illasque circumducant; sed

2. Nostros V. D. ministros decere barbam alere, patet (1) exemplo sacerdotum V. Test. Lev. 21, 5. leg. Psal. 133, 2. de Aarone.

3. In N. Test. *Job. Baptista*, qui fuit Nazirus, novaculam vix admisit. Et *Christus*)form.

(formosissimus inter filios hominum, *Psal.* 45. 2.) Prout à Ludolpho de Saxonia describitur, barbam aluit. *Omnesque Apostoli*, excepto Johanne, cum barbibus depinguntur in omnibus ferè delubrorum pontificiorum parietibus.

4. Barbam dici volunt à Baro, (voce absoluta, virum significante,) hinc illud vulgatum: *Barba facit virum*, Et Diogenes interroganti, cur barbam gestaret? respondit: Ut virum sese esse subinde recordaretur.

Q. XXVI. An rectè faciant Parentes vel curatores, qui liberos Jesuitis informandos tradunt?

R. Neg. quia 1. Omnis doctrina demptâ pietate, venenum est, præcipuè apud Jesuitas, ibi enim exulat Pietas, Timor Dei & vera Religio. vid. *Q. XXIV.*

2. Christum scire superat omnes alias artes. *did. ex Job. 17, 3.*

3. Jesuitæ unâ cum artibus philosophicis, errores suos improvidæ juventuti instillant: habenas disciplinæ laxant: &c

4. Divinâ voce jubemur exire a Babylone & papatu, *Apoc. 18, 4. did. ex Deut. 17, 3. 4. Conf. Art. XI. de lege, præcept. III.*

Q. IX.

Q. XXVII.

Q. XXVII. *An qui calvini Dogmata sectantur, dicendi sint calviniani?*

R. Quid ni, sicut Nos a Luthero dicimur lutherani, vid. Q. XVI.

Q. XXVIII. *An lutherani cum calvinianis in causa Religionis se conjungere possint? vel saltem in politicis correspondere possint?*

R. Ad quæstionem priorem responderi potest ex dictis & rationibus adductis, ad Q. 20. ad posteriorem, de conversatione & correspondentia in politicis, repetenda est Q. seq. XVII.

Q. XXIX. *An Religio sociniana pro christiana habenda?*

R. Neg. sociniani veri christiani dici nequeunt, cum non sint verè fideles, (Act. II, 26.) quia errant in præcipuis fidei articulis, utpote de DEO & attributis divinis, de Christo, de Lege divina, de magistratu, &c. Adeo ut Turcis in quibusdam sint deteriores, in quibusdam judaizant, quomodo ergo pro christianis habendi?

SECTIO III.

DE VOTIS.

Quæ soli DEO, pro invocatione nominis divini, sunt & soli DEO, ad gratitudinis & honoris declamationem nuncupantur.

Q. I. An

Q. I. An & quomodo DEO aliquid vovere liceat?

R. Perpetuum christianorum votum est Baptismus, aliàs in S. Scriptura Tria reperiuntur votorum genera,

1. *Εὐχαριστίας, Gratitudeis*, quod quotidie in precibus nostris est persolvendum. 2. *προσφυσίας, Devotionis*, quo Deo vovemus servitia nostra, in observatione mandatorum ejus, pro quibus quotidie suspiramus. 3. *παιδαγωγίας, Obedientia & Castigationis*, e. gr. de jejunio, facienda Eleemosina, &c. quæ vota sunt licita, modo non fiant opinione meriti, sed ex libertate christiana.

Q. II. An homo pius possit debeatque se voto obligare ad certa vitia evitanda, in quæ videt se maxime primum ferri?

R. Neg. 1. Non est necessarium, quia in Baptismo nos voto obstrinximus ad fugiendum omne id, quod voluntati Dei adversatur.

2. Nemo rem ullam debet particulatim vovere, ni habeat *ἐξουσίαν περὶ ἰδίου θελήματος*, (1. Cor. 7:37.) quis autem poterit sibi certò polliceri, quod in illud vitium, contra quod votum concepit, non sit unquam prolapsurus?

3. Quia

3. Quia talis, si in vitium illud prolabatur, gravius à Deo punitur, quam si nunquam de ea re votum concepisset. *Deut.* 23, 21-23.

4. Omnes sancti per preces; per Dei præsentiam & sanguinis Christi, quo empti sunt considerationem: per actionum suarum observationem: & pœnarum meditationem, muniverunt se adversus flagitia, pauci verò per *vota*, inter quos tamen est *Hiob*, qui *foedus pepigit cum oculis*, *Eccl. Job. 31:1.*

Q. III. *Quid de votis monasticis sentiendum? an retractari possint?*

R. Hæc vota sine læsione conscientia fieri nequeunt, ergo etiam retractari possunt; sunt autem Tria 1. *Castitatis*, 2. *Paupertatis*, 3. *Obedientia*.

In Conscientia non obligat (1) *Votum Castitatis*, dicit enim Christus *non omnes capiunt verbum hoc*, *Matth. 19, 11.* Conjugium est honorabile in omnibus, *Hebr. 13: 4.* in conjugio non minus castè vivitur, *1. Thes. 4: 3. 4. 5. 1. Tim. 2: 15.*

(2.) *Nec paupertatis*, quia est illicitum, consistens in protervâ & hypocritica possessionum aspernatione à Deo concessarum præcepto

præcepto septimo. (Spiritualis autem paupertas extollitur à Christo, *Matth.* 5, 3.)

Nec (3) *obedientia*, (cui annectunt *Votum missionis*.) Cum sit ἐπελοθρεσκεία, damnatur à Christo *Matth.* 15: 8: 9.

Q. IV. Quenam res sint vovende?

R. Materia voti non est arbitraria; debet enim esse actus alicujus virtutis: aut res alioquin bona, honesta, gravis, possibilis, utilis nobismet ipsis, & proximo juxta verbum Dei.

Q. V. An Votum conditionatum obliget?

R. Vota cum conditione *honestæ & possibilis* facta in conscientia obligant. estque conditio illa *Necessaria vel contingens*. Votum sub *necessaria* conditione factum statim obligat, sed sub *contingente* factum, servandum est impleta conditione. Sin v. Conditio fuerit *turpis & impossibilis*, votum sub illa factum, nullum est.

Q. VI. Si is qui vovit, persolvere nequeat, an alius ejus loco persolvere possit?

R. Vota sunt trium generum, *Realia, Personalia, & mixta*. *Realia* debet quis alterius loco persolvere: ut hæredes vota defuncti, summam

summam sc. pecuniæ in usum pauperum : quia defuncti hæreditatem adepti sunt.

Personalia v. vota nemo pro altero solvere debet ; ut si quis ante mortem jejuni-um voverit.

Mixta , quæ partim sunt *Personalia*, partim *realia* ; ut si quis voverit se peregrè iturum, ut exulibus certam pecuniam offerat, a perigrinatione quidem liberari potest hæres, sed pecuniam mittere tenetur.

Q. VII. An vota ex metu & perturbatione animi, sint valida ?

R. 1. Si perturbatio animi omne iudicium rationis tollat : Non sunt valida. Ut vota ex præpostera iracundia facta, quia *Ira brevis furor est*, non valent, nisi sedato motu iræ, eadem postmodum repetendo confirmantur.

2. Sin v. perturbationes omne iudiciũ rationis non tollant, vota ex illa perturbatione adhuc valent : Ut si quis in morbo periculoso, aut naufragio aliquid voverit, id præstare tenetur.

Q. VIII. Ast si quis simulatè voverit, an id præstandum ?

R. Omnis simulatio à cultu divino aliena esse

ena esse debebat, juxta illud *Syr. 1, 34. 35.* Si a. quis simulatè DEO aliquid voverit, id præstare tenetur, non tam vi & natura voti, (hoc n. pleno animi proposito faciendum fuisset) quàm evitandæ vindictæ divinæ, *Syr. 1, 37, 38.* Et scandali dati audientibus, *Matth. 18, 7.*

SECTIO IV.

DE JEJUNIO:

Q. I. *Quid & quotuplex sit Jejunium?*

R. Jejunium est ordinarii cibi subtractio, estque 1. *miraculosum*, quale fuit Christi in deserto, *Matth. 4, 2.* quod est ἀμίμητον, inimitabile, quò etiam referri potest exemplū Mosis & Eliæ. 2. *religiosum*, ut *Davidis, Psal. 35, 13. Danielis, c. 10, 3.* 3. *superstitiosum*, quod etiamnum in Papatu solemne est, de quo, *Q. IV. & seqq.*

Q. II. *Quid sit Jejunium religiosum?*

R. *Jejunium religiosum* est voluntaria abstinencia a cibo, ut ad preces, pœnitentiam & alia pietatis exercitia aptiores sint homines: Quod plerumque imminente aliquo periculo, aut durante aliqua calamitate publicâ indicitur, leg. *Jel 2, 12, 15. Jon. 3, 5. seqq.* Et in primitiva Ecclesia, paulò ante Festum

Festum Paschatos, publicum Jejunium fuit indictum; Quia eo tempore publicè pœniterentes recipiebantur, adulti conversi baptizabantur, atqve ad seriam meditationem Historiæ passionis & resurrectionis Christi sese præparabant.

Sic Rex noster clementissimus, exemplo piorum Regum, præcipuè suorum majorū gliscente aliquo periculo, subditos suos per totum Regnum ad precū solemnitates regiis diplomatibus seriò hortatur, quibus precibus Jejunium semper conjungitur.

Huc pertinet, cum quis sibi soli certas ob causas Jejunium imponit; Dum sese ad auditum verbi & cultum divinum præparat, vel ad Sacram Cœnam accessurus, vel in luctu constitutus, vel pravas suggestiones sentiens, &c. Idque ad Exemplum sanctorum; Ut *Davidis, Danielis, &c.*

Q. III. An talia jejunia ab Ecclesia indicta, vel privatim imposita Conscientiam obliget?

R. Aff. Quia 1. talia jejunia fiunt ad mandatum DEi, quo omnes obligamur, ut evitatur imminens periculum, leg. Joel, 2, 12. U: Matth. 6, 16. seqq.

2. Fiunt ad exemplum piorum tam Vet. E2 quàm

quàm N. Testamenti, ut *Esthera, cap. 4, 16. Danielis, cap. 10. 3. Hanna, Luc. 2, 37.*

3. Eorum transgressores Scandalum præbent in Ecclesia, quod omninò vitandum, juxta illud Christi: *Va scandalizanti, Matth. 18, 7.*

Excipiuntur a. ab hac scandalizatione, qui ad jejunia minus sunt apti, vel *per etatem*, ut pueri & senes: Vel *per valetudinem*, ut mulieres gravidae, ægroti & valetudinarii, ne coacta aliqua jejunatione, majus malum sibi accersant.

Q. IV. *Quid sit Jejunium superstitiosum?*

R. In papatu verè est Jejunium *superstitiosum*, vel ut Chemnitius statuit; Est *merum ludibrium*, veri Jejunii in Bibliis descripti: quia

1. Consistit in abstinentia a carnibus tantum & lacticiniis; non a. a piscibus, & quidem ob frivolas rationes; Quia (1) terra propter peccatum protoplastorum fuit maledicta, non v. aquæ, quæ postea per baptismum Christi fuerunt sanctificatae: (2) pisces Christus post resurrectionem edit, non carnes.

2. Carnes & lacticinia prohibent, etiam
in mini-

in minima quantitate, piscibus v. & aliis lautitiis non ad satietatem saltem, sed & nauseam impleri tempore jejunii concedunt.

3. A carnibus abstinere jubent, non autem à vino, in quo tamen est luxuries, *Eph.* 5: 18.

4. Ipso tempore jejunii jejunantibus refectionunculam, quæ satis lauta est, concedunt.

5. Usque ad vesperam se jejunare dicunt, non intelligentes vespertinam horam, sed vespertinum officium, quod circa horam secundam pomeridianam celebrabatur.

6. Nec caret fraude hæc sanctio papistica, quia dispensationem facile impetrant ditiores, qui pecuniam numerant: Extat enim Taxa pœnitentiaria pro licentia utendi carnibus & lacticiniis temporibus prohibitis; pro una persona, pro tota familia, collegio, congregatione, pro oppido & ejus districtu, pro Clericis, fratribus & monialibus cujuscunque ordinis, &c.

Q. V. Absterreantne hæc fraudes verum Christianum à papistico jejuniij ludibrio?

R. Maximè abhorret quilibet verè pius ab hisce ineptiis, præcipuè quod hypocritico isti Jejunio affingant opinionem non

tantum singularis sanctimoniam, sed & meriti & satisfactionis, siquidem ne ullus quidem sanctorum in S. Scriptura ad expiationem peccatorum suorum jejunasse legitur: Nec jejunia vel indicta, vel assumpta, vel etiam divinitus præcepta, ullam habere possunt proportionem, vim aut valorem tollendi peccata, quæ non nisi pretioso sanguine Christi expiari possunt.

Q. VI. Quid de jejunio quadragesimali statuendum sit: Anne illud Conscientias nostras obstringat?

R. Nomen istius Jejunii apud nos adhuc viget: Et piæ animæ, quæ aliàs sobriè vivunt, tunc maxime sobriæ vitæ operam dant, cum eo tempore meditentur historiam passionis Christi, & ad festum resurrectionis sese præparent; Ad hanc a. devotionem nullo modo, adstringuntur Jejuniis pontificiorum quadragesimali: Cum illud sit valde frivolum.

I. Quoad *Nomen*, quadragesimale dicitur Jejunium, ad imitationem Christi, quia 40 diebus jejunavit, addunt quoq; exempla Moïsi & Eliæ, sed ista Jejunia sunt admiranda non imitanda.

Adducunt

Adducunt & alias rationes minoris momenti; Sc. DEUS 40. diebus & 40. noctibus *pluit aquam diluvii: Ninivitis* 40. dies dati sunt ad pœnitentiam: Filii Israel 40. *mansionibus* ex Ægypto in terram promissionis venerunt: &c.

2. Ipsi Pontificii non conveniunt, quando incipiendum hoc Jejunium & quando finiendum.

3. Nec uniformis est apud illos huius Jejunii observatio. *conf. Q. IV.*

4. Hujusce jejunio præcipuè adscribunt expiationem peccatorum, *vid. Q. V.*

Q. VII. Quid cavendum, & quid faciendū, ut Jejunium sit Deo gratum?

R. Ut Jejunium sit DEO gratum, cavendum erit 1. Ab *impietate*, ne tribuamus jejunio meritum & expiationem peccatorum: noxiæ huicce Pontificiorum impietati opponenda sunt, *quæ ad Q. 5. dicta sunt.*

2. Ab *Hypocrisi*, cum jejunantes gloriam hominum quærunt, & alios non jejunantes contemnunt; de qua Hypocrisi loquitur Christus, *Matth. 6, 15. conf. Luc. 18, 12.* Huicce maximè culpabili Hypocrisi opponi debet illud, *Syr. 1, 34-38. quod leg. & aureum*

dictum Chrysoftomi: *Jejunium corporis sic anima Nutrimentum.*

3. Et *malitia*, cum quis tempora jejunii observat, tempus a. pœnitentiæ negligit, legatur de hac malitia jejunantium, *Esaj. 58, 3-10.* & consideretur quod cum jejunio conjuncta sit vitæ innocentia, amor virtutis, & peccati odium, Eleemosyna, (*Jejunium sine Eleemosyna est q. lucerna sine oleo: dict. Vet.*) Castitas, Humilitas, Patientia, Ignoscentia seu condonatio, (*quæ Augustino species Eleemosynæ est.*) hisce virtutibus verum Jejunium q. gemmis ornatur.

Q. VIII. *An Lutheranus, qui inter pontificios habitat vel peregrinatur, obligatur ad illorum Jejunia, saltem ne offendantur infirmi?*

R. Ita quidem videtur nonnullis, ob dictum Apostoli, *Rom. 14, 15. 16.* sed loquitur ibi Apostolus de infirmis *Fratribus*, qui nostræ sunt religionis. Longè ergo tutius est à jejunio papistico abstinere; quia

1. Leges de jejunio non sunt divinitus indictæ, sed ab hominibus inventæ, quæ Conscientiam non obligant, leg. *Matth. 15, 2-9.*

2. Novit Lutheranus esum carniū quolibet die esse licitum, qui a. ab usu rei licitæ ab-

citæ abstinēt, sub opinione meriti, propter Conscientiam, is Conscientiam vulnerat.

3. Nec caret abstinentia illa suspitione hypocriseos: Fideles a. etiam ab omni specie mali abstinere decet. 1. *Theff.* 5, 22.

SECTIO V.

DE ELEEMOSYNIS,

quæ sectioni de jeuniis annecti potest.

Q. I. *An sit adiaphorum, dare Eleemosynas?*

R. Neg. Quia 1. Eleemosynæ largitio est juris divini, quam nemo sine vulnere Conscientiæ violare potest, jubente DEO, *Deut.* 15, 7. 11.

2. Ex *Esaj.* 58, 7. *frange esurienti Panem tuum.*

3. *Add.* Ex *Luc.* 6, 38. 1. *Tim.* 6, 18. *Hebr.* 13, 16.

4. Testatur ipse Christus, multos in novissimo die propter intermissam Eleemosynam, in ignem æternum missum iri, *Matth.* 25, 41, 42. *conf.* 1. *Joh.* 3. 17. & *Jac.* 2, 13.

Q. II. *Quibus danda est Eleemosyna?*

R. Danda est Eleemosyna calamitosis, quæ vel ægri sunt, vel vitio corporis, labore victum & amictum acquirere nequeunt, im-

primis piis & religiosis, præcipuè qui nos vitæ genere aut aliqua consanguinitate & affinitate attingunt, *leg. 1. Tim. 5, 8.*

Q. III. Quomodo danda est Eleemosyna?

R. Cavendum erit, ne detur Eleemosyna

1. Animo Hypocritico, & inanis tantum gloriæ causa, quales erant Pharisæorum Eleemosynæ, quas reprehendit Christus, *Matth. 6, 1-4.*

2. Non coactè, non tristi sed hilari vultu, *Syr. 35, 11. seqq. 2. Cor. 9, 6-10.*

3. Non ex alienis, & injustè partis: sed ex propriis & legitimè acquisitis, *Deut. 23, 18. conf. Luc. 19, 8.*

4. Non tantum ex superfluitate, sed ex mediocribus bonis, *Tob. 4, 7-12. Luc. 3, 11.*

5. Non profusè, ne aliis sit relaxatio, nobis v. detrimentum, *2. Cor. 8, 13. conf. Prov. 5, 16. 17.*

Q. IV. Quid de validis mendicantibus sit sentiendum?

R. Validi & inertes mendici, item circumforanei, non sunt nostris Eleemosynis juvandi, sunt n. inutiles fugi, cæteris egenis necessaria præripientes. *leg. 2. Thes. 3, 11. 12.*

Hinc accurato scrutinio opus est, ut expellantur

pellantur validi & pigri ventres: Debiles v. & langvidi in Ptochotrophiiis alantur, exemplo primitivæ Ecclesiæ, Act. 6, 2.

Laudanda ergo est provida S. R. Majtist. Regis nostri clementissimi cura, qui in Ord. Eccl. Cap. XXVIII. necessaria nosocomia ordinavit, iisque de necessariis redditibus clementissime prospexit.

SECTIO VI.

DE ORATIONE,

quæ imprimis ad cultum Dei pertinet, sed reservanda videtur ad Art. de cruce & precibus.

ARTICULUS III.

DE CREATIONE.

1. De creatione 1. quid sit? 2. de Creatore, 3. De Tempore & materia Creationis, 4. de creationis ordine & forma, & 5. De Creationis fine, vid Haffenreff, hic saltem.

Q. I. *An hic Articulus sit creditu necessarius?*

R. Aff, quia per fidem credimus aptata esse secula verbo Dei, & omnia quæ videmus, facta esse ex nihilo, Hebr. 11: 3. Confusam quidem Creationis cognitionem ex lumine naturæ habuit Moses, sed perfectam ex revelatione divina adeptus est: Hinc Articulus fidei

fidei verè dicitur: Philosophi enim, etiã acutissimi de mundi creatione nihil certi novērunt: Quidam illam prorsus negarunt: & quidam illorum dixisse fertur, cum historiam creationis legeret: *Hic Homo multa dicit, sed pauca probat.*

Q. II. *Quo Anni tempore mundus sit conditus?*

R. Non liquido constat an tempore veris, an v. in Autumno sit conditus: Pro tempore verno dimicant alii, quia tum terra germinavit, *Gen. I. II.* alii pro autumno; Quia arbores fructibus erant onustæ, *Gen. 2, 16.* sed cum Spiritus sanctus in S. Scriptura tempus non definiverit, nostrum non est rigidè in illud inquirere, sed bonitatem, sapientiam & potentiam Dbi in rerum omnium creatione venerari.

Q. III. *Qualis fuerit Lux illa primigenia primo die creata?*

R. Non fuisse accidens ab omni materia separatum, sed substantiam per se subsistentem: Accidentia enim seorsim non creantur, sed substantiis concreantur. B. Lutherus statuit fuisse *insitam qualitatem corporis luminosi*, & vndiqve per Aëra diffusi, suis ta-

luis tamen extremitatibus definiti, donec potentia DEI in corpora luminosa, solem, lunam & stellas esset coagmentatum.

Q. IV. Quid de aquis supracælestibus censendum?

R. 1. Aqvas supracælestes reverà dari, clara S. Scripturæ dicta probant, *Gen. 1, 6-8. Psal. 140, 3. & 148. 4.*

2. In naturali loco continentur, quem à DEO in ipsa creatione accepere, in quem a. finem à DEO creata sint, non est nostrum rimari, sed DEI sapientiam & potentiam admirari.

Q. V. Estne peccatum grande, rarò de Creatione cogitare, & pro ea gratias Deo agere?

R. Aff. quia 1. DEUS severè in gentiles animadvertit, quod Opus creationis non expenderint, & inde discerent, colendum & glorificandum esse DEUM. *leg. Rom. 1, 18, 19, 20.*

2. Cum DEUS vitam nobis dederit, motum, omnia membra &c. & ab ipso adeo pendeamus, ut ne quidem ad momentum sine ipso esse & subsistere possimus, *Act. 17, 24-28.* ecquis non videt extremè impios esse, qui, tam mu-

tam munifico omnium largitori grati esse nolunt, leg. querela DEI, *Deut.* 32, 8-15.

3. Et quod maximum est, cum omnia essent creata, creavit hominem, ad imaginem suam, qui dominaretur omnibus creaturis, terram sibi subjiceret, &c. *Gen.* 1, 26-30. Ô simus ergo grati, ex *Psal.* 34, 2. 3, 4. & 71. 23. &c. &c.

Q. VI. Quodnam sit solatium contra fulgur & tonitrua?

R. 1. Tonitru piis est solatio, quia DEUM habet Authorem, 2. *Sam.* 22, 13. 14. 15. *Psal.* 29, 3. & 77. 19. Et timentibus Dominum signum est gratiæ, purgat a. aëra juxta Physicorum opiniones, tempore veris terram aperit, & foecundā gignit pluviā. *Jer.* 16. 13.

2. Cum tonitru legem suam dedit Deus, *Exod.* 19: 16. Tonitruui vis verbi assimilatur, *Psal.* 68: 34. Filii Tonitrus dicuntur, filii Zebedæi, *Marc.* 3: 17.

3. Tonitru impios ad pœnitentiam vocat, *Apoc.* 4: 5.

Q. VII. Quid de Astrologia judiciaria sentiendum?

R. Si quærat de prædictione effectuum naturalium, quorum causæ sunt certæ, certa est

ta est & infallibilis, ut de prænunciatione Eclipsium, quo Anno, mense, die & hora futura sint, & quota parte luminis sui defecturus sit sol vel luna.

Sin autem quærat de præcognitione futurorum contingentium, non ita certa & infallibilis est, quæ enim à libera hominis voluntate dependent, mutabilitati sunt obnoxia.

Q. VIII. Quid de aliis prædictionibus Astrologicis sit judicandum?

R. Prædictiones, quæ innituntur causis naturalibus, insignem habent usum, in medicina, re nautica, & œconomia, &c. Habent enim astra naturales suas vires, sibi à Creatore inditas, quibus in hæc inferiora efficaciter agunt, eaque in movendis hominum corporibus, in ciendâ tempestate, in mutatione temperamentorū, pro re nata efficiunt.

Q. IX. An quis ex cœli & elementorum observatione aliquid prædicere possit?

R. Res naturales, præsertim quæ ad aëris temperiem pertinent, ex cœlorum & elementorum constitutione & observari & prædici possunt: suam enim inde habent dependentiam; Sic ex diverso nubium colore diversa

diversa aëris temperies prædicitur. *Nigra* nubes ventorum & fulminum in æstate causa est: quia densiores & crassiores habet vapores. *Alba* notat serenitatem; quia gignitur ex vapore subtili, raro & tenui qui facilè stellarum lumen recipit. *Rubra* etiam ventos parit, quia vapores continet humidos, fumosos, terrestres & adustos. *Viridis* notat pluvias, quia valde rorida est & aquosa. Sic *rubedo matutina* plerumq; ventos aut pluvias notat; *vespertina* serenitatis index est. *Matth.* 16: 2, 3.

Q. X. *Quid de operatione Eclipsium per conscientiam statui possit ac debeat?*

R. Eclipses fortuito casu non fiunt, sed Deum Autorem agnoscunt, & quidem ob certum finem, ut sc. præter naturalem suam operationem etiam bonis bona, malis mala designarent & annunciarent, sub hac conditione, si boni à bonitate non recederent, & mali a sua malitia non desinerent, pœnitentiamqve agerent, atque sic utrobique imminencia mala evaderent.

Q. XI. *Quid de signis & prodigiis statuendum?*

R. Varia fieri signa & prodigia in Cœlo, aëre, terra, mari, hominibus certum est, ut Turbi-

ut turbines, diluvia, inundationes, abortus, sanguinis pluvia, aquarum in sanguinem versio, dæmoniaca obsessio: sunt hæc prodigia quidem pœnæ, sed majores pœnas præsciunt. Hinc & securos ad seriam pœnitentiam vocant. Sic decem plagæ præcesserunt Pharaonis submersionem in mari rubro. Multa prodigia antecedeant Hierosolymæ everisionem.

De signis autem extremum diem præcessuris, *leg. Luc. 21, 25.*

Q. XII. Quid de metoscopia, & chiromantia credendum?

R. Si metoscopiæ tutores intra cancellos naturalium affectuum animi & constitutionis corporis manserint, non adeo contemnendæ sunt eorum prædictiones: modò non abutantur suâ metoscopiâ. Idem de chiromantia statuendum, si nempè intra limites causarum naturalium se contineant chiromantæ, neque eorum prædictiones omninò improbandæ.

ARTICULUS IV.

DE PROVIDENTIA DEI.

An & quid sit Providentia divina? circa quas res versetur? quis modus agendi

& an rebus subjectis necessitatatem inferat? bene docetur in Haff. hic saltem.

Q. I. *Cum DEUS quieverit ab omnibus operibus quæ fecit, quomodo in divinam providentiam credendum?*

R. Quieverit DEUS novas species creando, non vero quieverit creaturas conservando, quod testatur Christus, *Joh. 5, 17. Pater meus adhuc operatur & ego operor, & memorabile est dictum Apostoli, 1. Pet. 5, 7. omnem vestram curam conjicite in Dominum, nam illi est cura de vobis.* vid Haff. Q. I.

Q. II. *Quomodo tractandi, quibus humana videntur Deo minus cura esse, quia bonis non raro malè, & malis frequenter benè sit?*

R. Hoc dubium, quod certè infirmiores sæpè vexat, solvebatur, *Art. II. ubi de Justitia DEI actum est, Q. XIII.*

Q. III. *Quomodo instituendi, qui temeraria Providentia Divina fiduciâ nulla planè formidant pericula?*

R. Hisce inculcandum, 1. *Quod audaciâ DEUM tentent, ex Matth. 4, 7. Dominum DEUM tuum non tentabis, dicit Christus Satanæ urgenti Providentiam DEI, & Angelorum custodiam*

custodiam, ut de summitate Templi se præcipitaret.

2. Audaces Providentiam DEI inevitabilem necessitatem rebus afferre autumant, quod lubricum est.

3. Si ergo periculum imminet, fugiendum est, exemplo *Jacobi* ad *Labanem*, *Gen.* 28, 6. 7. *Mosis* ad terram *Midiam*, *Exod.* 2, 15. *Joseph & Maria*, *Matth.* 2, 14.

4. Sin v. periculum evitari non possit, tum commēda Domino *Vias tuas*, *Psal.* 37, 5.

Q. IV. *Quomodo informandi, qui Providētia Dei ad segnitatem in officio abutuntur?*

R. Hi pigri Ventres detorquent illud Christi dictum, *Matth.* 6, 31. *ne estote solliciti, quid edamus, &c.* sed contra istum torporem & acediam urgendum.

1. Quod immodica sollicitudo (facientium officium suum,) prohibeatur à Christo, ut quæ nos abducit à regno DEI quærendo, *Matth.* 6, 33.

2. Quod divina Providentia includat labores vocationis: Laborandum enim est, & eventus DEO committendus; Sic discipulos retia laxantes copiosa piscium captura beat Christus, *Matth.* 5, 4. *seqq.*

3. Quod omnis labor sine benedictione divina sit frustraneus, *Psal.* 127, 1.

Q. V. Quomodo erigendi, qui diffidunt, quod non suppetant humana media, quibus in necessitate juvari possint?

R. 1. Etiam pii hoc modo tentati sunt: *Moses*, cum populus cuperet vesci carnibus, *Exod.* 16, 8. & 17, 2. & *discipuli Christi* sæpè: non ergo de gratia DEI desperandum.

2. Consideremus DEI curam erga vilissimas etiam creaturas, *Matth.* 6, 26. *aspicite volatilia Cœli, &c.*

3. Plurimis exemplis ostendit DEUS, se suis providere & velle & posse: Etiam ubi nulla suppetunt auxilii media. *Israélite* ad Mare rubrum: *Daniel* in fovea Leonum: *Jonas* in ventre Ceti: *Tres Adolescentes* in clibano ardente servati. Omniaque exempla V- & T. evincunt DEUM posse supra communem naturæ cursum, *Conf. Eph.* 3, 20. (*Conf. 2, 3. in Sect. IV. de Melanch. in Articulo de Angelis.*)

Q. VI. Unde accidat, quod DEUS sæpè rerum penuriam immittat?

R. 1. Ita vult patientiam docere, ut DEI dispositione simus contenti: 2. Castigat propter de-

pter delicta & ad pœnitentiam invitat. 3. Fastidium nostrum punit, quia sæpè appetimus plura quam par est. 4. Ingratitudinem objicit, quod dona ejus sæpè inutiliter consumserimus. 5. Meruimus, quod in abundantia rerum, benefico Deo gratias non egerimus. 6. Laboribus nostris sæpè adscribimus, quod Deo adscribendum esset.

Q. VII. An liceat rei familiaris expensas accurate (& immodicè) in codicillis subducere?

R. I. Qui circa hanc rem nimium anxij sunt, peccant in providentiæ divinæ gubernationem.

2. Agunt contra monitum Christi, *Matth. 6: 25.*

3. Non credunt verbis Christi, *Matth. 4: 4.*

4. Dei benignitatem obliviscuntur, *Matth. 6: 32.*

5. Forte luxuriant in victu & amictu, nec se suo modulo metiuntur.

Aliàs licitum est imò consultum, providã rei familiaris curam gerere, si fiat modo decenti, quod mandatur, *Prov. 24. 28.* Idem docet parabola Christi, *Luc. 14. 28.*

Q. VIII. An peccent, qui proximum, cui res ex voto non succedunt, contempnunt?

R. Affen-

R. Aff. Quia 1. Verbo Dei sunt inobedientes, *Prov. 17, 5.*

2. Charitatem christianam labefactant & in octavum præceptum peccant.

3. Non considerant illud *Syr. cap. 11, 14. omnia sunt à Domino, Fortuna & infortunium, Vita & Mors, Divitiæ & Paupertas.*

4. Nec in memoriam sibi revocant verba Christi, *Luc. 6, 24, 25. vae vobis divitibus, quia delectamini in illis, &c.*

Q. IX. An contemnendi, qui tenuioris fortuna Parentibus nati, si res benè gerant?

R. 1. Tales miris modis fastidiunt nonnulli insolentiores, qui negligunt illud, *Syr. 10, 9. seqq. Luc. 1, 52.*

2. Ex inferioris sortis hominibus DEUS eximios viros suscitavit: *David* fuit Opilio; *Elisa* Bubulcus: *Gideon* Frumentarius: *Amos* Pecuarius: *Apostoli Christi* Piscatores: *leg. Psal. 113, 5-8.*

Q. X. An terminus vitæ sit fatalis?

R. Est terminus vitæ certus, sed non fataliter: Definivit enim DEUS apud se dies hominum, non absolute sed certo ordine, cum intuitu mediorum, in tempore vel usurpatorum vel repudiatorum, ita ut possit
homo

homo dies suos decurtare, vèl precibus impetrare, ut illas prolongare dignetur DEUS, exemplo *Hischia*, *Esa.* 38, 5. Hinc minatur Deus impiis vitæ decurtationem, *Psal.* 55. 24. piis vitæ prolongationem promittit, *Exod.* 20. 12.

ARTICULUS V.

DE ANGELIS.

SECTIO I.

DE ANGELIS IN GENERE, ET IN SPECIE DE BONIS ANGELIS.

Q. I. *Cum magna sit Angelorum Potentia, est ne aequalis bonorum & malorum vis & Potentia?*

R. Neg. Namque licet magna adhuc sit malorum Angelorum vis & potentia: confertur enim *forti armato*, *Luc.* 11, 21. *Leoni rugienti*, *1. Pet.* 5, 8. Dicitur DEUS *hujus seculi*, *2. Cor.* 4, 4. *leg. Eph.* 6, 11. *seqq.*

Major tamē est bonorum angelorum virtus, quia in ipsos cacodæmones potestatem habent: Et *Raphael* Dæmonem *Asmodæū* vinculis constrinxit. *Tob.* 8, 3. *leg. Apoc.* 12, 7. 8. 9. Unde sequitur, Angelos bonos, per

quos custodimur, potentiores esse iis quibus oppugnamur, & eorum potentia cum voluntate Dei semper conjungitur. *Psal.* 103, 20. 21.

Q. II. Quid faciemus, ut sanctos Angelos semper nobiscum retineamus?

R. Ut sanctos Angelos semper nobiscum habeamus, sit nobis chara 1. *Devota gratiarum Actio*, quod non saltem Deus sit noster Protector, sed & sanctos Angelos in protectionem nostrum condidit, *Psal.* 91, 11.

2. *Submissa Oratio*, ne DEUS propter peccatum praesidium hoc angelicum a nobis auferat: *In Orat. Matut. & Vesp. Conf.* 2. *Maccab.* 11, 6.

3. *Vita sanctimonia*, firmiter statuentes, quod non tantum DEUM semper & ubique habeamus praesentem, sed & sanctos Angelos adstantes: *Jer.* 23, 23. 24. *Conf.* *Exod.* 23, 20. 21.

Q. III. Quomodo nos geramus, ut etiam in hac Vita simus ἰσαγγελοι?

R. In futura Gloria nos fore ἰσαγγελοι si vera fide discesserimus, firmiter credimus; ut autem in hac Vita quoad Virtutes simus illis quodammodo similes, eorum Virtutes imitabimur, quarum

1. Est *Obsequium*: quemadmodum enim voluntatem Dei exaciè norunt; ita nunquam ab ea recedunt, sed in omnibus promptè obediunt: ideo nos orare iubet Salvator noster Christus: *fiat voluntas Domini sicut in Cœlis, &c. Matth. 6: 10.*

2. *Humilitas*: Etsi enim propter naturæ spiritualitatem & in bono constantiam longe nobis præstantiores sunt, tamen ad ministeria nostra sese demittunt, *Hebr. 1. ult.*

3. *Castitas*: Abhorrent sancti Angeli ab omni spurcitie, amant casta colloquia, castos mores & gestus; Diabolus autem est Spiritus immundus, *Luc. 11, 24.*

4. *Precum assiduitas*: Nam & ipsi DEUM indefinenter adorant, & precibus piorum intersunt, quas ad DEUM deferunt, suasque addunt, *Zach. 1, 12. Tob. 12. 12.*

Q. IV. *Cum multa sint bonorum Angelorum in nos beneficia, suntne ergo adorandi?*

R. Neg. propter 1. *Dei mandatum*, qui solus vult adorari, *Matth. 4. 10.*

2. *Exemplum*, scilicet piorum, qui adstantes sibi Angelos non adorarunt; sic Petrus *Act. 12, 7. Paulus Act. 23, 11. &c.*

3. *Sanctorum Angelorum Testimonium*, quod nolint adorari, *Apoc. 19, 10. & 22, 9. Conf. Jud. 13: 15, 16. Es*

4. Malo-

4. Malorum Angelorum *postulatum*; *Matth. 4, 9.*

Q. V. An liceat angelicas revelationes expetere, eiusque fidem habere?

R. Neg. licet DEUS in V. T. & initio N. T. per Angelos locutus sit, tutum tamen non est angelicas visiones & Colloquia expetere, quia I. DEUS nullibi præcepit, ut ejusmodi apparitiones expetamus.

2. Diabolus in Angelum lucis sese transformat 2. *Cor. 11, 14.* Estque ab initio mendax & Latro, *Job. 8, 44.*

3. Christus remittit nos ad Scripturas, *Job. 5, 39.* & ad Mosen atque Prophetas, *Luc. 16, 29.*

Q. VI. Cur DEUS ministerium sui verbi non Angelis sed hominibus commendavit?

R. 1. Ut testaretur suam *Φιλανθρωπίαν*, *Marc. 8, 2.*

2. Ut subveniat nostræ infirmitati, quia Angelorum præsentiam ferre non possumus, *Apoc. 19, 20.*

3. Ut suam ostenderet potentiam, quod per infirmos Homines verbum ejus creverit, 2. *Cor. 4, 7.*

4. Ut novas revelationes excluderët, quas per angelos expetarët, *Gal. 1, 8.* **SECTIO**

SECTIO II.

DE ANGELIS MALIS.

Q. I. Quid faciendum, si Diaboli in assumpta visibili forma nobis appareant?

R. Testantur Historiæ, & suffragatur experientia, Diabolos non tantum suis mancipiis, veneficis & magis, sed & aliis in privatis ædibus apparere, & q. Lares domesticos sese insinuare;

Sed maneamus in viis nostris, pietati & inculpatae vitæ studeamus, indefinenter oremus, ne veniat Satanus in conspectum nostrum! Ne inducamur in tentationem! *add. preces mat. & vespert.*

Q. II. An Diabolus cogitationes hominum perspicere possit?

R. Neg. Quia cogitationes hominum speciales solus DEUS novit, qui scrutatur corda & renes, 1. Reg. 8, 39. Job, 2. 25. est enim solus καρδιωγνώστης, Act. 1, 24.

Interim, ut est sagacissimus, è vultu, è sermone & gestu aliisque signis & circumstantiis multapotest colligere; imprimis impuras ac impias cogitationes, quas ipse suggerit & inspirat; ignorat ergo *Cogitationes cordis à priori, quæ soli Deo sunt notæ; sed à posteriori non*

riori, non semper ignorat, sæpè produntur ab homine externis signis vel effectis, & sic Diabolo innotescere possunt.

Q. III. *An Diaboli vera miracula edere possint?*

R. Neg. Distingvendo inter *miracula* & *mirabilia*. illa facit solus Deus, *Psal.* 72: 18. & 136: v. 4. Hæc permittente Deo, beneficio naturæ spiritualis patrare potest, qualia fuere *Pseudo prophetarum* in V. T. de quibus, *Deut.* 13: 1. 2. 3. & *magorum* in Ægypto, *Exod.* 7: 11. 12. & 8: 7. &c. Et in N. T. *Simonis Magi*, *Act.* 8: 9. Huc pertinent *mirabilia Antichristi*, 2. *Thes.* 2. 9. add. *Apoc.* 13, 13.

Q. IV. *Quid per Spiritum familiarem sit intelligendum?*

R. Spiritus familiaris quo fascinantur increduli, non est alius, quàm unus atque alter è spiritibus infernalibus, qui non servarunt Originem suam; Et reliquerunt suum domicilium & reservati sunt iudicio magni illius diei, vinculis æternis sub caligine, *Epist. Jud.* v. 6. Familiaris dicitur quia, familiariter cum fascinatis dicitur conversari imò simulat se posse includi capsulis, vitris, annulis, ut semper præstò sit. ô fascinum & delirium! *Conf.* Q. I.

SECTIO III.

DE OBSESSIS.

Q. I. Cur DEUS permittat Diabolo, ut corpora humana ingrediatur?

R. I. Diabolum sine DEI permissione homini nocere non posse, exemplo Jobi patet, *cap. 2*, multò minus in corpus humanū ingredi, quod patet ex *Matth. 8, 31. 32.*

2. Permittit autem hæc DEUS, certas ob causas, (1) ob infideles qui negant esse Dæmones, *Act. 13, 8.*

(2) Ob magos ipsos, ut convertantur, *Act. 8, 9.*

(3) Ad DEI potentiam ostendendam, *Conf. Job. 9, 1. 2. 3.*

(4) Ob tentationem Credentium, *Deut. 13, 3. I. Cor. 11, 19.*

(5) Ob peccatorum punitionem, sunt enim Dæmones ministri justitiæ DEI, suam ob superbiam, Nebucadnezar ita demeratus est, ut putaret se esse bestiam, *Dan. 4, 27. 28. 29.*

Q. II. Quenam sint Signa hominis Obsessi?

R. Obsessionem corporalem hæc potissimum signa sequuntur: I. Obsessi, licet idiotæ sint, lingvis tamen peregrinis loquuntur.
2. Occul-

2. Occultorum in locis remotissimis, notitiam habent.

3. Stultitia, quam immoderatus risus sequitur.

4. Cantus ut aviculæ, vel alii affectus inordinati,

5. Vires plus quam humanæ ad portanda onera.

6. Abhorrent à Nomine JESU, & à precibus.

7. Diabolus mirè corpus, quod ab ipso possidetur, divexat & torquet, linguam ligat, aures obturat, formam hominis in peregrinam, aspectuque horridam mutat; quandoque ad rabiem eos adigit, ut vinculis eos constringi necesse sit.

Q. III. *An imputanda sint obsessis flagitia, quæ ab ipsis committuntur?*

R. Obsessi vel sunt *homines pessimi*, qui in pœnam præcedentis impietatis à Diabolo possidentur; Vel simulant obsessiōnem quæstus causa: Hi cum etiam sani ad peccata proni fuerint, si talia à Dæmone obsessi patrant, culpâ non carent.

Vel sunt *boni & DEUM timentes*, qui permittente DEO à Diabolo obsidentur, horum quidem membris abutitur Satan; Lin-
gvâ ad

gvâ ad blasphemandum, manu ad vuln-
randum, &c. sed ipsis penitus vel invitis &
ignorantibus, quia cum ab iis paulisper re-
cedit saltem, (per intervalla enim eos tor-
quet,) nihil horum recordantur, talia à se fa-
cta serió dolent, & veniam precantur, &c.

*Q. IV. An Dæmones possint obsessos privare
fide & salute?*

R. Obsessio est pœna Corporis, in quod
DEUS interdum Diabolo potestatem permit-
tit: In animas autem hominum sibi soli ab-
solutum reservat imperium, & in *hunc fi-
nem aliqui obdurati traduntur Satanae, in inte-
ritum carnis, ut salvi sint in die Jesu Cbri-
sti, 1. Cor. 5: 5.*

Q. V. An obsessi à S. Cœna sint arcendi?

R. Qui diu, sine cessatione, à Diabolo
vexantur, ut præter externam formam vix
aliquid hominis habeant: à sacra Cœna o-
mninò arcendi sunt, item qui non ita diu
has molestias diabolicas experti sunt, in ipso
furore non sunt admittendi; nam ad S. Cœ-
nam requiritur probatio & ardens desiderii-
um, quod in miseris illis hominibus tempo-
re obsessionis deficit. Sed qui per Dei gra-
tiam à maligno spiritu ad tempus requiem
habent

habent, hi S. Cœnam expetere, seqvè probare, & digne mensâ Domini frui possunt.

Q. VI. Quid faciendum si ades nostra à Demonibus infestentur?

R. Satanæ potentia est quidem ampla, in filios autem Dei, quando, ubi, aut quomodo ei libet, eam exercere non potest, quod patet ex Historia *Jobi*, Cap. 1. & 2. Domicilia autem quæ à Satana vexantur, per verbum Dei, serias preces, & piam vitam sunt sanctificanda, ad monitum Apostoli, *1. Pet. 5: 8. 9. 10.*

Q. VII. An Diabolus magicis artibus, vel opera exorcistarum ab obsessis pelli potest?

R. Neg. Nam hujusmodi mediis pellen-
di Satanam, nemo pius uti debet: Nam Diabolus cogi se simulat, cum sponte exeat, ut superstitionem & idololatriam in animis impiorum foveat & confirmet: atque ita non tantum corpus hominis vexat, sed etiam animos multorum dementat, quos in superstitione & idololatria hoc modo confirmat, *Conf. Sect. VI. Q. V.*

Q. VIII. An ergo relinquendi sunt obsessi in sua miseria?

R. Minimè: 1. Fidelis & vitæ inculpatae V. D.

ta V. D. Minister diligenter inquiret, qualem vitam antea gesserit obsessus, per legem adducat ipsum ad agnitionem peccatorum: si prius pius fuerit, soletur eum, exemplo Jobi, & Pauli 2. Cor. 12: 7.

2. Præmissâ hac admonitione sive consolatione, adhibeatur opera experti alicujus medici, qui succos malignos & melancholicos, cōmodis medicamentis expurget.

3. Confessio fidei ab ipso exigatur, de operibus Diaboli à Christo destructis erudiat; Ad hunc Satanæ destructorem Jesū Christum fideliter remittatur: Ad fidem in Christum, ad preces, ad pœnitentiam exhortatio instituat.

4. Ardentes preces pro illo fundantur à totâ Ecclesia: (preces autem sint conditionatæ, si liberatio ejus cedat in Dei gloriam & obsessi salutem, est enim corporis malum.)

5. Cum precibus jūgantur jejunia, *Matth. 17. 21.* & Eleemosynæ ab amicis obsessi, *Tob. 12, 8.*

SECTIO IV.

DE MELANCHOLICIS.

Q. I. Quid faciendum, ne à Spiritu melancholico possideamur?

G

R. I. me-

R. 1. Melancholia in multis *naturales* habet causas, quas medicamentis corrigere, sed prorsus ejicere non licet.

2. Sunt qui *naturâ ad hunc morbum non inclinant*, sed spontè eum attrahunt, quod nè fiat, monemur *ex Syr. 30: 22-27.*

3. Præservemus nos vera pietate, cum firma in Deum fiducia, *Psal. 37: 45. & 55: 23. conf. Præcept. primum Decalogi. Q. VII. & Art. de Evang. Q. V. IX.*

Q. II. *Quomodo instituendi, qui ob folij casum, & in loco solitario & tenebricoso spectra subverentur?*

R. 1. Certi esse debent, Christum contrivisse caput Diaboli, adeo ut sine permisso divino in hominem pium ne tantillum possit.

2. Sustineant se præsentia Dei, Jesu Christi & sanctorum Angelorum, qui excubias agunt pro piis.

3. Firmiter credant, *quod virtus Dei in infirmitate perficiatur. 2. Cor. 12: 9.*

Q. III. *Quomodo succurrendum sit cogitationibus melancholicis in defectu rerum temporalium, honoris, &c.*

R. 1. Cogitemus quod *bona & mala, vita & mors*

Et mors, paupertas Et divitia à Deo sint, Syr. 11:14. add. Psal. 75:8.

2. Timentibus Dominum, omnia cedere in bonum, Rom. 8:28.

3. Apostolus, 1. Tim. 6. 6. pietatem Et ἀντιξεναι conjungit, quae sunt propria Christianorum virtutes: Conf. quae dicta sunt in Art. de provid. Q. V.

Q. IV. Quomodo occurrendum tristitia ex dilatione auxilii divini orta?

R. Cogitandum 1. Quod DEUS rebus omnibus certum praefixerit terminum, Eccl. 3. 1. seqq. Expectandum igitur est justum tempus, DEUS enim moram temporis suavitate auxilii compensare solet, quia *veniens veniet Et non tardabit*, Hab. 2, 3.

2. Quod DEUS dilationis suae justas habeat causas, (1) ut gloria ejus fiat manifestior, ut in nuptiis Cananaeis, Job. 2, 4. 10. (2) ut ardentiores simus in precibus, Luc. 18. 1. seqq. (3) ut patientia fidesque nostra aliis fiat manifestior, leg. Tob. 2. 12.

3. Quod & sanctos DEUS diuturnis molestiis afflixit; sic Jacob Patriarcha varias perpeffus fuit calamitates: *Israélite* in Aegypto, Annis 400. in Babylone, 70. miser ille ad piscinam Bethesda, An. 38. Job. 5, 5. hamor-

rhousa, An. 12. *Matth.* 9. 20 *alia annis* 18. à spīritu infirmitatis pressa, *Luc.* 13. 11.

4. Quod etiam quotidiana docent exempla, quomodo *DEUS sanctos suos mirabiliter ducat*, *Psal.* 4, 4. Hæc exempla tanquam in speculum intuemur, nec nos *meliores existimemus patribus nostris* *Eccl.* leg. 1. *Pet.* 5, 9. 10.

Q. V. Quomodo resistendum sit melancholia, quæ ex consideratione mortalitatis nostræ obvenit?

R. Ut hunc timorem rectè moderemur, consideranda venit 1. *mortis necessitas*, *Gen.* 2. 16. *Hebr.* 9. 27. forti animo ergo ferendum, quod mutari non potest, *Not.* *Syr.* 41: 5. 6. 7.

2. *Mortis utilitas*, quia (1) in morte cessat peccatum, *Rom.* 6. 11. (2) cessat omnis miseria, *Syr.* 41, 3. 4. (3) est mors janua vitæ, & initium perfecti gaudii, quod Christus suis promisit, *Joh.* 16, 22.

Q. VI. Quomodo erigendi, qui desperant de perseverantia sua in fide?

R. 1. *Laudanda est sollicita cura perseverantiæ*, vult enim *DEUS* ut cum *timore & tremore salutē operemur*, *Philip.* 2, 12. *Bernh.* qui pavet, cavet, 2. *persua-*

2. *Persuadenda* est salutis nostræ certitudo firmis argumentis, quorum (1) est *promissio salutis* facta omnibus credentibus, *Marc. 16: 16. Job. 3: 16.* (2) ad promissiones DEI, accedit *Testimonium Spiritus sancti*, *Rom. 8: 14-17.* (3) cum testimonio Spiritus S. *conjunctionum propria Conscientia*, *1. Cor. 6, 11.* (4) salutis nostræ certitudinem confirmat *vocatio ad vitam æternam*, de quâ præclarum est dictum *2. Tim. 1. 9. promissiones autem & dona DEI sunt ἀμεταμέλητα*, *Rom. 11. 29.*

SECTIO V.

DE MAGIS ET VENERIFICIS,

item de divinatione, de quibus agendum erit in Præcepto II. Decalogi.

SECTIO VI.

DE SPIRITIBUS ERRONEIS ET SPECTRIS.

Q. I. *Quid de spiritibus erroneis sentiendum sit?*

R. Animas defunctorum non vagari in terra; quia *1. Anima justorum sunt in manu DEI*, *Sap. 3. 1.* Et latroni dixit Christus, *hodie mecum eris in Paradiso*, *Luc. 23, 43. add. Luc. 16, 22. Act. 7, 59. Phil. 1, 25.*

2. Animas impiorum Scriptura locat in gehenna, *Luc. 16, 23. Matth. 25, 41.* Diabolus ergo est, qui hoc modo fallit homines, sicut Saulem, *1. Sam. 28, 14.*

Q. II. An sint spectra, & quæ illa sint?

R. 1. Non est, quod hic varias variorum opiniones recenseamus, cum spectra dari, Scriptura, & exempla Sacra, ecclesiastica & profana evincunt.

2. Spectra autem nihil aliud sunt, quam spiritus maligni, in variis formis apparentes vel non apparentes, & tamen præsentis, homines locaque, junctim vel seorsim, infestantes & turbantes, quousque à DEO permissionem impetrarunt.

Q. III. Quanam loca maxime amant spectra?

R. Illa, in quibus falsa viget Religio & cultus superstitiosus; monasteria, loca solitaria, qualia sunt cœmeteria, sylvæ, montana, domus desertæ; loca palustria, specus subterranei, fodinæ metallicæ: Et loca memorabili hominum strage nobilitata, *leg. Esa, 34. 15.*

Q. IV. An liceat spectra adjurare?

R. Neg. quia 1. nusquam legitur in S. Scriptura, spectra fuisse adjurata ab ullo homine.

2. adjura-

2. Adjuratoribus, filiis Scevæ malè cessit, qui sine Dæi mandato, Diabolos adjurare ceperunt, *leg. Act. 19, 13-18.*

Q. V. Quid statuendum de Pontificiorum mediis fugandi spectra?

R. Pontificiorum deliria sunt, spectra posse fugari, precibus pro defunctis; oblatione cereorū & peregrinationibus, jejuniis, Eleemosynis, & similibus aliis rebus; sed Satanas hisce non movetur, neque verè fugatur & si ad tempus cedere videatur, Hoc autem facit suo cum lucro, ut homines in superstitione magis devotos reddat; libenter enim cedit, & corporum sensus affligere cessat, ut animam hac ratione in majus periculum conjiciat.

Q. VI. An ad fuganda spectra valeat signum crucis?

R. 1. In Papatu magnam vim & virtutē cogendi Dæmones tribuunt soli cruci, vel in aëre formatae, vel in solido aliquo pictae, aut effigiatae; sed vel illam non moratur, Satanas, vel si cesserit, facit suo cum lucro *vid. Q. V.*

Est quidem signum crucis commonefactio crucis sive crucifixi Christi, per quem regnū

& opera Diaboli destructa sunt; crux autem per se Diabolum non fugat, sed precibus istam vim tribuit Christus, *Matth. 17, 21.*

Q. VII. Solis ergo precibus fugantur spectra?

R. I. Precibus, quæ multum valēt, *Jer. 5, 16. 17.* conjungenda est (1) vera pietas & fiducia in DEUM, qui in manibus suis nos signavit, *Esa. 49, 16.* (2) seria verbi DEI meditatio, est enim verbum DEI gladius Spiritus Sancti, *Eph. 6. 17.* (3) vera pœnitentia cum bona conscientia, si enim con nostrum nos non condemnat, accessum habemus ad DEUM, *1. Job. 3, 21.*

2. Erigamus nos (1) præsentiâ filii DEI, qui opera Diaboli destruxit, *1. Job. 3, 8.* mundum vicit, *Joh. 16, 33.* caput serpentis contrivit, *Gen 3, 15.* & (2) angelica custodia, *Psal. 91, 11.*

3. Qui à Spectris immunes esse volunt, fugiant loca solitaria & melancholicam tristitiam; Spectra videre haud gestiant, (uti temerarii & petulantes solent,) sed in viis vocationis manean, & nominatis mediis in timore Domini utantur.

ARTICULUS VI.

DE HOMINE INSTATU INTEGRITATIS.

Quæ de

Quæ de Homine in Statu Integritatis considerato cognosci possunt; nimirum 1. De Animæ humanæ immortalitate, 2. De Animæ humanæ propagatione. 3. De Imagine DEi in homine. Et 4. De Libero Arbitrio; illa breviter comprehendit Hassenrefferus noster in L. L. CC. unde repeti possunt, hic saltem.

Q. 1. Quatenus hæc doctrina de statu innocentie, ad nos in statu peccati constitutos spectet?

R. Dignitas, Gloria & Beatitudo primæva non solum primo homini, sed omnibus posteris, & universo generi humano collata erat.

Ideo enim 1. Adam creatus, ut esset origo, radix & parens totius generis humani, in quod imaginem Dei sibi inditam propagare potuisset, si in beato innocentie statu permansisset.

2. Uti nunc post lapsum Adami, primi nostri Parentis, peccatur & mors hæreditariè in nos devolvitur; ita quoque ab eo si innocens perstitisset, justitia & vita derivata esset, ut nos omnes ad imaginem DEi in Adamo conditos dicere possemus.

Q. II. *Quomodo dignitatis hujus consideratio, ad pietatis studium nos excitare possit?*

R. Potest maximè, si 1. Deo devotas agimus gratias, quod tanto honore in protoplastis nos sit dignatus.

2. Si eò nitimur, quò imago Dei per peccatum extincta in nobis restaurètur. — Quæ reparatio & restitutio imaginis divinæ, non aliter quàm per sanctificationem Spiritus, & naturæ nostræ renovationem fieri potest, *Eph. 4:22. seq. Col. 3. 9. 10.*

3. Imaginis ergo divinæ renovatio in hac vita inchoanda est, ut in alteram vitam veniamus, Deique visione fruamur.

Q. III. *Quomodo erigendi sint illi, qui anguntur, quod ad eam renovationis perfectionem assurgere nequeunt, ad quam conditus est primus homo?*

R. Vult DEUS ut ad imaginem, ad quam conditi sumus, renovemur, sed 1. nulla est in hac vita perfectio. 2. *Cor. 5: 4. seqq.* quæ ergo temeritas, ob id angit, quod homini in hac vita non conceditur, *Rom. 8: 23. seq.*

2. Qui hac imperfectione suæ renovationis anguntur, fracti sunt animo & contriti corde, quibus Deus adest; *Psal. 34: 19. &c.*

3. Ipse

3. Ipse Dei Spiritus subleuat nostras infirmitates & intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus, *Rom. 8:26.*

4. Pergant ergo deflere imperfectionem, proficiant in pietate, pro fidei incremento orent, &c. *Rom. 7:24.*

Q. IV. Quæ causæ fuerint longævitatibus protoplastorum & antediluvianorum?

R. Ad hunc articulum etiam pertinere videtur hæc Quæstio de causis longævitatibus antediluvianorum, quæ sunt vel 1. *efficientes*, (1) benedictio DEI singularis, *Deut. 30, 20.* (2) vicinitas primæ creationis, quæ ἐνεργίαν habuit eximiam. (3) Salubrior victus ante diluvium. (4) Acumen ingenii præstantius, quo rerum vires, quibus ad vitam sustentandam utebantur, accuratius quam à nobis cognoscebantur.

2. *Finæles* autem causæ longævitatibus illorum esse possunt: (1) ut numerosam procrearent sobolem, qua mundus repleretur, quod diu vivendo faciebant. (2) inveniendæ erant artes, diu ergo vivendum, quia diuturna experientia eruuntur. (3) Culus DEI traditione erat retinendus, non dum n. extabat verbum DEI Scriptum: id vero in tanta hominum varietate fieri non potuit, nisi qui

nisi qui à DEO edocti erant, diu essent superstites.

Quod annos attinet; fuere iidem cum nostris hoc tempore, sc. 365. dierum in anno communi, & 366. in anno bissextili.

Q. V. Quomodo Protoplasti ad imaginem DEI conditi, in statu integritatis seduci potuerint?

R. Commodè & illa quæstio h. l. sic decidi potest: Homo fuit conditus à Deo, ut peccare & non peccare posset, de quo *Syr. 15: 14. 21.* quia hominem rationalem condidit; ratio autem sine libero Arbitrio esse non potest, in isto ipso ergo aversionis puncto, cum homo voluntatem suam flecteret ad malum, ipse malus esse cœpit: cum in bono confirmatus fuisset, si tentationem Satanae superasset. Ita igitur homo à DEO conditus est, ut non quidem vellet peccare, attamen ut posset velle & non velle, quam suam potentiam reprimere debuisset.

ARTICULUS VII.

DE PECCATO.

SECTIO I.

DE PECCATO. Et Homine in peccatum prolapso.

Q. I. An proteplatorum peccatum, scilicet esus de fructu arboris vetice, fuerit pecc. gravissimum?

R. Aff. Fuit 1. ἀνομία non μερικὴ sed ὀλική, quā omnia & singula Legis præcepta violata sunt: Nam 1. Contra primam legis tabulam; erat in Corde ipsorum dubitatio & incredulitas; in Ore, mandati divini depravatio, & blasphema culpæ in Deum translatio, Gen. 3: 12. 13. in Opere, contemptus Actualis & inobedientia, mandatum Dei scientes & volentes transgressi sunt, ei similes esse cupiebant, vanis Satanæ pollicitationibus inflati, quibus tria priora præcepta violarunt.

2. Contra Secundam tab. deliquerunt, quia quartum præceptum transgressi sunt, ἀχαρῖστια & impietate in Patrem coelestem. Quintum homicidio, quo se & posteros suos in mortem Naturæ, Gratiæ & Gloriæ præcipitarunt. Sextum, illa perfidiâ erga maritum, cui usus persvadebatur, ille immoderato amore erga uxorem persvadentem: septimum, furto & contrectatione rei alienæ invito Domino. octavum, falso testimonio, falsique testimonii assensu. Nonum & Decimum, prava altioris status & scientiæ majoris concupiscentia.

(Not.

Not. quod non ex textu probari possit,
Fructum arboris vetita fuisse pomum.)

Q. II. Unde sit peccatum in homine?

R. I. Peccatum nullo prorsus modo est à
 DEO, nec creante, nec præcipiente, nec ap-
 probante, nec operante, nec adjuvante, nec
 tacito motu mentes & voluntates hominum
 impellente; *sanctus enim & justus est; non vo-*
lens iniquitatem, Psal. 5. 4. sed puniens, Psal.
7. 12. seqq.

Sed 2. est à Diabolo, proponente, remque
 malam persuadente, & propria hominis vo-
 luntate inclinantâ ad malum, *Rom. 5, 12.*
per unum hominem peccatum in mundum
introiit.

Q. III. Cur DEUS lapsum protoplastorum non
 impedierit, quod fieri potuisset, si eos ita con-
 didisset, ne peccare possent?

R. Impiorum hæc est objectio: justissimus
 enim DEUS moraliter & satis lapsum homi-
 nis impedit, licet non eo modo, uti illis ob-
 duratis videtur: Nam (1) legem dedit. (2)
 vires integras, ad parstandam legi obedi-
 entiam, largitus est. (3) Comminationes gra-
 vissimarum poenarum addidit, *Syr. 5, 14. seq.*
 (4) in ipso æstu primæ tentationis inter-
 dictū revocavit in mentē, 2. Hæc

2. Hæc impedimenta in creatura rationali longè erant fortiora, quàm externa aliqua violentia adhibita fuisset.

3. Spontanea obedientia DEO magis placuit, & homini gloriosior fuisset, quàm violenter extorta, *Syr. 31, 10.*

Q. IV. An Ignorantia excuset peccantem?

R. Ignorantia alia est simplex & *Facti*, alia *Juris* & affectata; illa, si quis debitam diligentiam adhibuerit, excusat; ut factum Jacob, *Gen. 29: 23. & seqq.* Hæc verò non excusat, sed potius peccatum aggravat, *2. Pet. 1: 5. seqq.*

Q. V. An metus excuset peccatum?

R. 1. Metus sæpè per se est peccatum, ergo illo excusari nequit peccatum, *leg. Matth. 10: 26.*

2. Sed si ex valido terrore aliquid committitur, minus grave censendum est, quam quod ex Spontanea voluntatis inclinatione committitur, *leg. Gen. 20: 1, 11.*

Q. VI. An animus promptus ad peccandum (sed deficiente occasione,) æque peccet atque ille qui opus perfecit?

R. 1. Talis æquè existimatur peccare coram Deo, ac si ipsum opus vel facinus perfecisset, *leg. 1. Sam. 18: 11. & 19: 11.*

2. Per

2. Per opus externum peccatum majus redditur, quia quod corpus & animam invasit, majus est, quam quod animam solam occupavit, *Matth. 2: 16.*

3. Est & illud peccatum gravius in opere, propter scandalum & incommodum aliquod reale, *Marc 6: 27.*

2. VII. *Quid de peccato recidivo tenendum, estne periculosius priore?*

R. Aff. ex verbis Christi, *Luc. 11: 26.* sunt autem hominis in peccatum prolapsi novissima pejora prioribus (1) *Respectu Dei*, quia magis à Deo relinquitur talis peccator, qui velut *Canis ad vomitum, & sus ad volutabrum redit*, *2 Pet. 2: 19-22.*

2. *Ex parte hominis peccatoris*, quia per consuetudinem peccandi contraxit pravos habitus, qui difficilem reddunt conversionem ad Deum, *Jer. 3: 20.*

3. *Ex parte Diaboli*, qui hominem à gravi peccato liberato, in quo eum captivum ante tenuerat, tantò crudelius infestat, tantò vigilantius attendit, tantò acrius invadit, tanquam prædam è manibus, & bolum è faucibus ereptum. *Luc. 11: 24. 25.*

Q. VIII. An quis tuto possit persistere in statu peccati, si constituat postea vitam emendare?

R. Neg. quia nefas est vel per minimum temporis spatium conversionis studium differre, (1) DEUS enim hoc postulat in præfenti, *Psal. 95, 8. Hebr. 4, 7.*

(2) Omnis dilatio resipiscentiæ, duritiem cordis auget, consuetudinem peccandi producit, & resipiscentiam difficiliorem reddit. *Fer. 13, 23.*

(3) Persistentia in peccatis peccatorum numerum, reatum nostrum & iram DEI adauget, *Psal. 95, 10, 11.*

(4) Vitæ nostræ duratio est valdè incerta, *Jac. 4: 13, 14. est itaque periculum in morâ.*

(5) Resipiscentia est donum DEI, quod ipse etiam largitur tempore præstituto, *Luc. 13, 9. 2. Tim. 2, 25.* nulla igitur occasio illius est prætermittenda.

Q. IV. An peccatorum remissio à DEO impetrata, per insequentia peccata possit fieri irrita?

R. Aff. quia (1) remissio peccatorum, quæ verè credentes per justificantem fidem in Christum acceperunt, per peccata contra conscientiam postea ab illis patrata, potest i-

ta fieri irrita, ut priora etiam peccata illis imputentur, *leg. Ezech, 18, 24.*

(2) Idem patet ex *Matth. 18: 27, 33, 34, 35.* ubi servus misericorditer absolutus, propter sævitiam in conservum, traditur tortoribus, quousque redderet totum debitum, &c.

Q. X. An & quomodo cor, homines ad peccandum movere ac persuadere possit?

R. Aff. Et quidem multis modis: (1) peccata enormia, non suis sed virtutum nominibus depicta ob oculos statuendo & palliando: Sic pro fortitudine substituitur *arrogantia*: Pro prudentia *Astutia*: pro liberalitate, *Prodigalitas*: pro munditie, *superbia*: pro parsimonia, *avaritia*: atque sic Satanas transformat sese in angelum lucis, *2. Cor. II, 14.*

(2) Peccata enormia extenuando, sed caveat omnis christianus *ne induretur seductione peccati*, *Hebr. 3: 13.*

(3) Gaudia tantum exaggerando, & malum sub lætitiâ latens, dedecus, conscientix vulnera, cordisque dolores celando. *leg. Prov. 9: 13-17.*

(4) Longanimitatem & benignitatem DEi prædicando, *Syr. 5: 4-9.*

(5) *Persuadendo quasi ex malis sequantur bona, sed non facienda mala, ut eveniant bona.* *Rom. 3: 8.*

SECTIO II. DE PECCATORUM POENIS.

Q. I. An DEUS posteris infligat pœnas ob majorum flagitia?

Resp. Ex Artic. de DEO, *Quest. XIII.*

Q. II. Quæ sint pœnae cardinales ob peccata?

Resp. Ex *Ezech. 14: 21.* Patet quatuor esse pœnas præcipuas, quas DEUS propter peccata immittit, quarum (1) est Gladius sive bellum, pœna horribilissima & maximè nota, quia *terra quæ antea fuit hortus voluptatis, fit solitudo deserti. Joël. 2: 3.*

(2) Fames, cujus atrocitas describitur, *Thren. 4: 4. seqq.* præter experientiam *leg. 2. Reg. 6: 25.*

(3) Bestia, quas DEUS immittit, non tantum leones, ursos &c. Sed & minima animalcula: ut pediculos, vermes, *leg. Exod. capp. 7, 8, & 9. Act. 12: 23.*

(4) Pestilentia, quæ est flagellum DEI, & integras regiones desertas facit, & amicissimos à se invicem disperngit, *Lev. 26: 25. 2. Sam. 24: 15.*

Not. Quod autem *2. Sam. 24: 13.* tantum fit mentio trium pœnarum à Prophetâ Gad ad Davidem, ratio est, quod pœna per Bestias facilè ad Bellum referri possit, olim e-

tiam per bestias bellatum est, *leg. 1. Macc. 6, 34. 35.*

Q. III. Suntne & alia pœna propter peccata?

Resp. Utitur etiam DEUS in pœnas peccatorum interdum elementis, igne, aqua, grandine, tonitru, *Gen. 7:11. 1. Reg. 18:30, Exod. 9:23. seqq.* imò malorum angelorum ministerio, *Psal. 78:49.*

Fufius de peccato ejusque pœnis leg. in Articulo de *Lege Dei*, juxta omnia præcepta Decalogi.

ARTICULUS VIII.

DE PRÆDESTINATIONE. In statu Restaurationis agendum est primò de decreto Reparationis, scil. Electione: ergo hic

Q. I. An de Prædestinatione liceat disputare?

Resp. curiosè de hoc & aliis fidei articulis seu mysteriis disputare non licet, modestè autem & piè de iisdem discurrere licet; In hoc ergo Articulo, (1) Meditemur & extollamus immensam Dei bonitatem, qui hominem ob peccata non rejecit, quod justitia ejus postulavit. Sed nos in Christo Jesu elegit, *Eph. 1:4. add. 2. Tim. 2:19.* (2) Electionem nostram

stram magis roboremus, quæ à parte DEI factis firma & constans est, ut: & a parte nostra simus certi, experiri debemus, an in fide simus, eamque bonis operibus demonstremus, 2. Pet. 1: 10.

Q. II. An de electione & perseverantiâ suâ certi esse possint electi?

R. Aff. quia (1) DEUS credentibus certò promittit vitam æternam, Job. 3: 16, & quidem juramento interposito, Job. 5: 24.

(2) Pii, qui ad imitandum nobis in S. Scriptura proponuntur, commendantur à fiduciâ, sicut Abraham, Rom. 4: 20-22.

(3) Id quoque evincunt hæc dicta: *Solidum stat fundamentum DEI*, 2. Tim. 2: 19. *Oves meas nemo rapiet ex manibus meis*, dicit Christus Job. 10: 28. *addantur Phil. 1: 6. 1. Pet. 1: 5. &c.*

(4) Dubitatio è diametro pugnat cum fine revelatæ doctrinæ de prædestinatione ad vitam æternam, qui est ut de salute certi simus, Rom. 8: 28, 29.

Q. III. Quomodo ergo manuducendi sunt, qui dubitant, an sint è numero electorum?

R. (1) Illi experiantur an amorem Christi in se sentiant, & an Christo se oblectent;

qui enim Christum amat, Christum ut salvatorem unicum colit, per Christum se vitam æternam adepturum certo confidit, is de electione certus esse potest, *Job. 5: 24.*

(2) In cor suum descendant, an certi sint de remissione peccatorum, per vulnera Christi, si hoc, utique certi sunt de electione, *Rom. 4: 7. 8.*

(3) Vitam suam expendant, an alacres sint in audiendo Verbo Dei, *Oves meæ vocem meam audient, dicit Christus, Job. 10: 16. an abscedant ab injustitiâ, 2. Tim. 2: 19. &c.*

Q. IV. *An metus filialis, qui est in credentibus, excludat certitudinem de gratiâ DEi & perseverantia in fide?*

Resp. Neg. (1) quia metus ille nihil aliud est, quam filialis *reverentia* quoad Deum, *vigilantia* quoad Diabolum, *prudencia* quoad mundum & *carnem nostram*, ne ab iis decipiamur. Atque ita caute ambulat & salutem operatur cum timore, securitatem vitans Deo studiosè obedit, & adversus satanam & mundum semper vigilat, *1. Pet. 5: 8. 9.*

2. Filialis metus credentium non consistit in dubitatione de gratiâ DEi, certi enim sunt credentes de gratiâ DEi præsentis, *Job. 3: 16. cer-*

3: 16. certi esse possunt ac debent de continuatione gratiæ DEi, & perseverantia, quia media divinitus ordinata usurpant.

Q. V. *Quomodo erigendi sunt, qui anguntur animo, nescientes an in fide perseverare, & ita salvari possint?*

R. Difficile est hosce anxios erigere; Quibus tamen indefinenter urgenda est (1) *Dilectio*, qua DEus eos in Christo complectitur, & quod cœpit non deseret, *Rom. 8: 35. Phil. 1: 6.*

(2) Christi pro fidelium perseverantia, *intercessio*, *Job. 11: 20. Luc. 22: 32.*

(3) Christi *potentia*, qua custodimur ad salutem, *1. Pet. 1: 5.*

(4) *Media sufficientia*, verbum DEi, usus sacramentorum, preces, &c.

Conqueruntur sæpè (a) quod fides sit infirma, *sed DEUS potens, est in infirmis, 2. Cor. 12: 9*

(b) Quod Diabolus terreat, *sed Christus est contritor Diaboli Gen. 3: 15. Apoc. 12: 7. seqq.*

(c) Quod multæ *tentationes*, *sed DEUS est fidelis qui non sinit nos tentari, Sc. 1. Cor. 10: 13.*

(d) *Peccata multa*, *sed Christus est propitiatio pro peccatis nostris, Sc. 1. Job. 2: 2.*

Tria sunt fundamenta fidei nostræ, (a) DEi Omnipotentia, *Ephes. 3: 20.* (β) DEi benignitas, *Ephes. 1: 4.* (γ) DEi veritas, *Psal. 33: 4.*

Q. VI. *Quid sit liber vitæ?*

R. Liber vitæ in quo scribuntur electi, καὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς DEo tributus (1) Nihil aliud est, quam certa & infallibilis DEi Notitia, qua ab æterno certò novit & decrevit eos, quos in fide JESU Christi ad finem usque perseveraturos prævidit, in æternam felicitatem introducere, sic *Psal. 69: 30.* ubi *dele- re* ex libro vitæ, explicatur pro non inscribi.

(2) Allegoricè tantum *Christus* potest dici liber vitæ, quatenus in ipso facta est electio ad vitam æternam, & fideles ipsi tanquam membra unius corporis mystici inferuntur, unde dicitur *liber vitæ Agni, Apoc. 13: 8.*

Q. VII. *An inscripti in librum vitæ inde deleri & æternum perire possunt?*

R. (1) Illi qui ab æterno in librum vitæ inscripti sunt, inde deleri non possunt, nec perire, nam si perirent, non fuissent inscripti, seu electi ad vitam, quod probatur, ex *Rom. 8: 29, 30.*

(2) Non

(2) Noti autem est hoc absolutum, & ad certa individua fataliter fixum decretum, sed in hac conditione vertitur, si electi in *fide ac fiducia* vitam finiant, ut Apostolus loquitur, *Hebr. 3: 14.* Et hoc sensu Christus impossibile, esse dicit, ut electi in errorem finalem inducantur, *Luc. 24: 24.*

(3) Qui per baptismum Christo, tanquam libro vitæ inserti, & in fœdus cum DEO verè relati sunt, per apostasiam ex olea illa, cui per baptismum insiti erant, resecari possunt, *Rom. II: 21-24.* Non vero inscripti in libro vitæ, *de quo quæst. VI. num. (1)*

ARTICVLVS IX,

DE CHRISTO

Θεανθρωπῶς.

SECTIO I.

DE DUABUS IN CHRISTO NATURIS, DIVINA ET HUMANA,

Q. I. Quomodo probatur Deitas Christi?

R. (1) Ex infinitis dictis, dicitur enim *Jehovah*, *Jer. 23: 6.* *DEUS*, *Job. 1: 1.* *primus & novissimus*, *Apoc. 1: 18.* *ex genuflexione*, *Rom. 14: 11.* &c.

(2) Ex Essentialibus Dei proprietatibus, dicitur enim *aternalis*, Job. 17: 5. *Omniscius*, Job. 1: 48, 49. *omnipresens*, Matth. 18: 20. & 28: 20. &c. &c.

(3) Ex operibus Divinis, est enim omnium rerum *creator*, Job. 1: 3. *Sustentator*, Heb. 1: 3. *Ecclesie defensor*, Matth. 16: 18. *mortuos excitat*, Luc. 7: 14. *salvat*, Job. 4: 42. &c. &c.

(4) Ex Honore Divino, Act. 7: 59. Phil. 2: 10.

Q. II. Quomodo probatur incarnatio Filii Dei?

Resp. (1) Similiter infinitis Sacrae scripturae dictis, Job. 1: 14. dicitur & est *magnus mysterium* 1. Tim. 3, 16.

(2) Ex tota Historiâ Nativitatis, Luc. 2: *

(3) Ex Historiâ Passionis, Matth. capp. 26: * 27: * &c.

(4) Christus se Filium hominis nominat, Matth. 25: 31. & plurimis in locis.

Q. III. Utrum incarnatio sit opus solius Filii, an vero totius S. S. Trinitatis?

Resp. Incarnatio est opus totius S. S. Trinitatis, *Efficienter & inchoative*, sed solius Filii, *formaliter & terminative*, Dixere patres: Tota S. S. Trinitas *incarnavit*, (voce minus usitata) sed solus Filius est *incarnatus*

Et

Et notandum quod opera trinitatis ad extra sunt quidem indivisa, & omnibus personis communia, servato tamen ordine, & modo cujusque personæ agendi distincto; atque ita incarnatio in persona Filii est terminata, qua ex decreto S. Triados humanā naturam in suæ personæ unitatem assumeret.

Q. IV. An de eorum salute desperandum, qui non agnoscunt Christum Ιησὺν Ἰσρωταίον?

Resp. Aff. quia (1) frustra sibi promittunt vitam æternam, *Joh. 3:18.*

(2) Per sanguinem Christi salvamur, sed qui eum sibi non applicat, quomodo potest vitam & salutem æternam sperare, *1. Joh. 1:7. Act. 4:12.*

(3) Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, *Joh. 5:23.*

Q. V. An & quomodo à servitute nos redemit Christus?

Resp. Redemit nos Christus (1) Non a servitute sive obedientia qua obstricti sumus superioribus, ut (a) *Magistratui, Rom. 13:1.* (b) *Parentibus, Exod. 20:12.* (c) *verbi divini ministris, Heb. 13:17.*

2. Neque ab ea, quæ debetur *legi divinae, Psal. 2:11. servite Domino in timore.* **Confistit**

stet enim hæc in legis divinæ observatione, a quâ non sumus redempti, [*Christus enim non venit ad destruendam legem, Matth. 5: 17.*]

Sed (3) Redemit nos (a) *Servitute Sætanæ*, 1. *Job. 3: 8.* (b) *maledictione legis*, *Rom. 8: 1.* (c) *ab imperio mortis, & inferni*, 1. *Cor. 15: 55. seqq.*

Q. VI. *An erga nomen JESU, reverentia genuflexione, capitis nudatione, & externis gestibus exhibenda sit?*

Resp. Aff. Quia 1. Ita jubet Spiritus Sanctus, *Phil. 2: 10, 11.* 2. Sicut fides se per bona opera exerit, ita & vera pietas per externos gestus se manifestat. 3. Externum honorem exhibemus regibus & in eminentia constitutis, cur non multò magis Regi Regum, Domino Dominantium, 1. *Tim. 6: 15.* 4. Est nomen *JESU* ipsi proprium & peculiare, atque complectitur in se omnia ejus beneficia.

Interim hæc capitis apertio, & genuflexio per se, & in se, non est cultus divinus, sed ceremonia quædam ad cultum pertinens, qua humilitatem & reverentiam nostram testatam facimus, atque hæc ceremonia in Ecclesi-

clesia Christi, longo usu, constitutione & consuetudine invaluit.

Q. VII. An humana natura in Christo divinus debeat cultus?

Resp. Aff. Quia dum considero humanam naturam unitam τῷ λόγῳ, unamque personam cum ipso constituentem, tum considero eam divinæ majestatis, omnipotentia, omniscientia, omnipresentia, adeoque etiam adorationis cultus, quin & ipsius hypostaseos, τῆς λόγῳ participem: & sic cultus divinus τῷ λόγῳ tribuitur per naturam, & humanæ ejus naturæ, per unionis gratiam: una itaque est adoratio Christi, sicut una est persona.

Q. VIII. An nomini Jesu scripto, cultus religiosus sit deferendus?

Resp. Neg. quia externas literarum apices religiosè venerari, idololatriæ species est, Deum enim adorabimus, & illi soli servendum, Matth. 4, 10, nomen autem Jesus scriptum, non est ipse Dominus Jesus.

Q. IX. Estne abusus nominis Jesu, cum homines vani in rebus ludicris, jocosis, in admiratione illud nominant?

R. Aff. quia 1. Deus nominis sui profanatio-

nationem severè prohibuit *Exod. 20: 7. in precepto 2.*

2. Gravem pœnam hujus profanatoribus imposuit, *Lev. 24: 16.*

3. Diaboli contremiscunt ad nomen Jesu, *Jac. 2: 19. conf. Luc. 10: 17.* ergo nos summa cum devotione illud eloquamur, *vid. precept. 2 Decalogi.*

SECTIO II.

DE PASSIONE ET MORTE CHRISTI.

Q. I. *Quomodo certi simus Jesum Nazarenũ & non alium esse mundi Redemptorem?*

R. 1. Fidem hanc nostram dubiam reddere potest despecta in hoc mundo Jesu Nazareni conditio, Paupertas & abjecta servi forma, cum ad hoc opus, quo nullum est præstantius in toto mundo, Persona requireretur longè excellentior.

2. Sed fundamenta certa habemus ex testimonio *Angeli, Matth. 1: 21. Petri, Actor. 4: 10-12. & Johannis, 1. Joh. 1: 7.* præter infinita alia.

3. Abjectus fuit Christus in oculis hominum, sed magnus in facie DEI, cui in hoc Jesu complacuit, *Matth. 3: 17.*

4. Duplex fuit Christi ornatus (1) *Naturalis,*

lis, sanctissima ejus innocentia, (2) *Personalis*, quia humana ejus natura in Personam Filii Dei assumpta, & in consortium S. S. Trinitatis evedta, omni Majestate, gloria & potentia Filii Dei repleta fuit, ita ut ab Angelis adoretur, *Hebr. 1: 6. conf. 1. Pet. 3: ult.*

Q. II. Quomodo nobis prodesse possit aliena redemptio, cum anima ipsa quæ peccaverit, mori debeat, Ezech. 18: 20?

R. ἀπολύτρωσις per mortem & sanguinem Christi parata, ut ut aliena, maximè nobis prodest. Opus enim redemptionis non ex nostris judiciis, sed consilio DEI dependet, cui nihil præscribendum, quomodo eam procurare velit, quia illam nobis non debet, (*gratiâ enim salvati sumus, Eph. 2: 8,*) cum ergo ipsi placuerit, nos per alienam redimere solutionem, cur non hanc DEI misericordiam, simplici fide grati accipiemus?

2. Verba Prophetæ agunt de lege, quam DEUS dedit *hominibus, non sibi*. Quia ad eam se non obligavit.

Q. III. An Christus pro omnibus sit mortuus?

R. Aff. 1. Et quidem immotis rationibus, quia expressa sunt verba, 1. Tim. 2: 6. pro omnibus,

mnibus, 1. Job. 2: 2. pro toto mundo, 1. Cor. 8: 11. Pro iis qui pereunt. vid. Hassenref. in LL. CC.

2. Addenda tantum est distinctio inter acquisitionem & applicationem: Christus sua morte acquisivit vitam æternam omnibus, quod patet ex supra dictis, quod autem omnes hoc Christi meritum sibi non applicent, illorum non Christi culpa est.

Q. IV. An una gutta sanguinis Christi sufficiens sit ad redemptionem totius mundi?

R. 1. Ita sæpè pro concione ad populum loquuntur V. D. Ministri: quæ locutio si excellentiam personæ patientis, & sanguinem fundentis respexerimus non est improbanda.

2. Si vero decretum DEi spectemus, quod executioni respondet, & hæc illi; Sufficit non una gutta, quia plures effusæ, & ideo effusæ, quia visum est DEo, cujus voluntatem facere venit Christus, Psal. 40: 8. add. Phil. 2: 8.

Q. V. An sanguis Christi in passione effusus computruerit?

Nihil hic, nisi quod nos Sacræ docent literæ, adferendum & audiendum; nempe sanguinem Christi nulla sui parte putredini fuisse

fuisse obnoxium, sed in resurrectione modo imperscrutabili & DEo soli noto intra ipsas venas collectum; Quod (1) clarissime infertur ex *Psal.* 16: 10, ubi à corpore Christi omnis removetur corruptio, quæ, cum de toto negatur, nec in ipsas partes cadere potest. (2) ex *1. Pet.* 1: 18, 19, ubi sanguis, quo redempti sumus, directe opponitur rebus corruptibilibus auro & argento, quarum indolem si non habuit, incorruptibilis erat; (3) dicitur *αἷμα ἡμίον ἀρνίῳ ἀμώμῳ καὶ ἀσπίλῳ*, i. e. sanguis pretiosus agni immaculati & inculpati: qui cujus pretii sit ex eo patet quod dicatur ipsius DEi sanguis, *Act.* 20: 28, & illius qui est ὁσίος, ἀκακῶς, ἀμίαντος, ἀπὸ τῶν ἀμαρτηλῶν κεχωρισμένος, *Ebr.* 7: 26. (4) fuit in ipsa effusione in divina hypostasi, unde non potuit ferre φθορὰν, ergo nec putrescere, sed reassumptus, & in cælum cum toto corpore illatus, *Ebr.* 9: 12.

Q. VI. Quomodo DEUS sanguinem, pretium redemptionis acceptare potuit, cum alias sanguinem effundere prohibuerit?

R. Consilium hoc DEi admirari fas est, non perscrutari, ergo I. Fides habenda dictis S. Scripturæ tam claris, *Hebr.* 9: 22, abs-

que sanguinis effusione non fieri remissionē, &c.

2. Primo homini de arbore vetita comesturo, mortem minatus est DEUS, *Gen. 2: 17.* Filius autem DEI sponte in se maledictū legis suscepit, *Gal. 3: 13, 14.* ideo ipsi moriendum, sanguisque ejus profundendus erat.

3. Effusio sanguinis in S. Scriptura prohibita, concernit eam effusionem, quæ sine voluntate & jussu DEI fit; Sed cum Magistratus jussu DEI sanguinem homicidæ effundit, rem DEO gratam facit, multo magis grata fuit DEO Patri æterno, sanguinis filii sui dilecti effusio, *repet. Phil. 2: 8.*

Q. VII. *Quis conscientia vulnera, mundare & sanare potest?*

Resp. 1. Multi multa & varia conscientia emplastra confingunt, sed *Christus solus est*, qui fauciam mundare & sanare potest conscientiam, *leg. Rom. 5: 1. & conf. Esaj. 53: 5.*

2. Ridiculum videbitur fanaticis & empæctis, quod vulnera Christi sint vulnerum nostrorum emplastrum, verum sic placuit divinæ sapientiæ, *leg. 1. Cor. 1: 18.* hinc *Bernhard.* *Nullum est tam efficax remedium, ad sananda conscientia vulnera, quam sedula vulnerum Christi meditatio.*

SECTIO III.

De descensu Christi ad inferos, De Resurrectione, de Ascensione & Sessione ejus ad dextram Dei, qui actus ad statum Exaltationis pertinent.

Q. I. *Quid de descensu Christi ad inferos simpliciter & piè sit credendum?*

Resp. De descensu Christi ad inferos, simplicissimè credendum & docendum est, 1. Christum Θεάνθρωπον ad inferos descendisse, infernum omnibus credentibus destruxisse, nosque per ipsum, è potestate mortis & satanæ, ab æternâ damnatione, atque adeo è faucibus inferni ereptos esse, leg. Apoc. 1: 19.

2. Esse hunc descensum peculiarem Christi victoris & triumphatoris apud inferos, manifestationem; & differre ab illo descensu, quo maximi animæ & corporis dolores & cruciatus metaphoricè indigitantur, Psal. 18: 5, 6. conf. Tob. 13: 2. ille enim pertinet ad statum *exaltationis*, hic vero ad statum *exinanitionis*, ille est gloriosus & post sepulturam factus, hic vero antecessit & in morte finem adeptus est.

3. Contigisse hunc descensum statim post

vivificationem in sepulchro, antequam per resurrectionem se hominibus manifestavit, ita 1. Pet. 3: 18. 19. ζωοποιήθεῖς τῷ πνεύματι ὡς θεοὶ ἐκήρυξε, &c,

Q. II. An Christus suâ resurrectione aliquid promeruerit?

Resp. Vexata hæc est quæstio, sed breviter dicendum, & credendum: Christum suâ obedientiâ tam activâ quam passivâ & suâ passione ac morte totum opus redemptionis absolvisse, dum in cruce clamavit *consummatum est*, Job. 19: 20. Esse autem omnia consummata per resurrectionem *comprobavit*, adeo ut nobis eadem applicare possimus, pro ut hæc deducit Apostolus, 1. Cor. 15: 16. 17. *seqq.* Conf. Rom. 10: 9. 10.

Q. III. An virtute resurrectionis Christi, omnes homines sint resurrecturi?

Resp. 1. Fideles quemadmodum sunt participes omnium beneficiorum Christi, ita & resurrectionis, quod patet ex Job. 17: 24. 1. Cor. 15: 23.

2. Impios autem resurrecturos esse, postulat ipsa justitia divina, secundum quam uniique retribuetur juxta opera propria, Eccles. 12: ult. hoc autem fiet in resurrectione, nam
hic

hic sapè bonis malè & malis benè est, *Psal.* 73: 3. *seqq.* *Job.* 21: 7. *seqq.* *Jer.* 12: 1. *seqq.*

Q. IV. *Quomodo Ascensio Christi in cœlos cohereat cum præsentia ejus in Sacra Cœna?*

Resp. optimè, quia 1. Christus ascendit non ut caperetur à cœlis, sed ipse caperet cœlos, *Act.* 3: 21.

2. Ita ascendit, ut præsentiam suam terræ & in terris Ecclesiæ suæ non subduxerit, *Matth.* 28: 20.

Q. V. *Quid de sessione Christi ad dextram Dei piè credendum?*

R. Firmiter tenendum 1. *Sedere* ad Dextram Dei, nihil aliud esse, quàm unà cum Patre & Spiritu Sancto, semper & ubique super omnia regnare, *leg. Psal.* 110: 1. *Eph.* 1: 20. 21. 22. *Conf.* *Luc.* 1: 32.

2. Hanc Christi ad Dextram Dei sessionem competere ei secundum *Humanam Naturam*, *Phil.* 2: 6. *seqq.* *Psal.* 8: 5. *seqq.* *Conf.* *Hebr.* 2, 7. 8.

3. Effectus sive beneficia hujus sessionis Christi ad Dextram Dei esse immensa, & quidem (1) Christi pronobis *intercessio*, *Rom.* 8, 34. *Hebr.* 7, 24. (2) Ecclesiæ *Defensio*, *Matth.* 16, 18. & *Conf.* *Psal.* 1, 9. *seqq.* (3) æterna re-

fectio, *Psal.* 16, ult. *Joh.* 12, 26. & 17, 24.

SECTIO IV.

DE OFFICIO

Spiritus Sancti,

Quatenus per Christum acquisita generis
humani reparatio, ab eo principaliter
applicatur.

Q. I. Unde certus esse queat homo de spi-
ritus sancti presentia & inhabitatione?

R. Quisque in se ipsum descendat, & pe-
riculum faciat: Sentiatur ne serium ob pecca-
ta dolorem, amorem Jesu, & cordis lætiti-
am in Christo, vitæ æternæ desiderium, mo-
tus pios & sanctos, &c. Ubicunqve illa sunt,
ibi adest Spiritus sanctus, *1. Cor.* 12: 3. *seqq.*

Q. II. Qualis est illa inhabitatio Spiritus
sancti in fidelibus?

R. Substantialiter & efficaciter cum gratiâ
& donis suis, fidelibus adest Spiritus sanctus,
& notandum inhabitationis species non
esse confundendas, alia enim est *essentialis*,
alia *personalis*, & alia *spiritualis*, illa est inter
personas S. S. Trinitatis, *Joh.* 14: 11. *Ista*
comperit soli Christo, *Col.* 2: 9. *hec* est inter
Spiritus sanctum & fideles, *Rom.* 8: 9. *conf.*
Artic. XIII. de Ecclesiâ, *quest.* VI.

Q. III. Num Spiritus sanctus infantes Christianorum, sanctificet in utero matris, antequam nascantur?

R. I. Ordinarie etiam sanctissimorum parentum liberos Spiritus sanctus non sanctificat, donec per baptismum regenerati fuerint, *Joh. 3: 5.* extraordinarie vero operari potest etiam in infantibus nondum natis, *Luc. 1: 44.* Nos enim DEUS ad baptismum tanquam ordinarium regenerationis medium remittit, se vero huic medio non adstrinxit.

2. Neque nativitati naturali DEUS sanctitatem et regenerationem hominis adscribit; Sed baptismo, qui propterea dicitur lavacrū regenerationis, *Tit. 3: 5.*

3. Quod autem in promissione dicitur, *ero DEUS tuus & seminis tui post te; Gen. 13: 15.* non absolute intelligendum est, sed cum determinatione fidei propriae, interprete Apostolo, *Gal. 3: 7. qui ex fide sunt Filii Abrahæ sunt.*

Q. IV. An renati spiritum sanctum amittere possint?

R. Dist. inter renatos peccantes ex infirmitate humanâ, malæ enim cogitationes &

lapsus quotidiani, sæpè etiam pios inopinatè occupant, *Rom. 7: 21. Hebr. 12: 1. Et peccantes contra Conscientiam, ut David, Petrus, illi non dicuntur amisisse Spiritum sanctum, quia in illis non dominatur peccatum, Rom. 6: 12, 13. & quotidie orant pro remissione peccatorum, Psal. 32: 6. Hi verò extinguunt spiritum sanctum 1. Thess. 5: 19. & gratià DEi excidunt, ne ergo simus securi, sed vigilemus & oremus, ne intremus in tentationem, Matth. 26: 41.*

Q. V. Quomodo ergo erigendi, qui censent se amisisse spiritum sanctum?

R. Hi 1. ardenter orent, ex Psal. 51: 12, 13.

2. Firmiter credant Patrem cœlestem misericordem esse, qui ovem perditam quaerit, Luc. 15: 4.

3. Christum pro nobis interpellare, est enim noster advocatus, 1. Job. 2: 1. 2.

4. Quocunque die in rectam viam redierit peccator, vitam habere & benedictionem, Ezech. 18: 21, 27.

5. Davidem, Petrum, amissum spiritum sanctum recuperasse, 2. Sam. 12: 13. Matth. 26: 75.

SECTIO V.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO,

de quo eatenus hic agendum esset, quatenus Spiritus sanctus per illud agit in annunciando verbum & administrando Sacramenta, ad hominum salutem; sed differendus est hic tractatus ad articulum XVII.

ARTICULUS X.

DE FIDE.

Ad quæstiones, quas de fide movet Hassenrefferus, addantur saltem sequentes:

Q. I. *An tolerari possit illa phrasis: Sola fide justificamur, cum non sit ἐγγραφὸν?*

R. Aff. Potest enim tolerari, quia exprimit alias locutiones æquipollentes, μόνον, solum vel tantum, Luc. 8:50. εἰ μὴ, non nisi, Gal. 2: 16. δωρεάν, χάριτι, gratis, gratiâ, Rom. 3: 24. &c.

Q. II. *An sine baptismo & S. Cœnâ, solâ fide justificemur?*

R. Organum, salutem apprehendens est fides, & cohæret cum organis offerentibus & obsignantibus, verbo DEi & sacramentis. Baptismus est Sacramentum Initiationis, & Sacra Cœna confirmationis. Non est quod objiciant exemplum latronis, Luc. 23: 43. cū sit illud singulare.

Q. III. An christianorum liberi habeant fidem in utero matris?

R. 1. Ordinariè ante regenerationem Fidem non habent, extraordinariè a. præcipuè si in utero Matris extingvantur, misericordissimus DEus, qui ad media se non adstrinxit, Fidem illis largiri potest, vid. Art. IX. Sect. IV. quest. III.

2. Quod Rom. II: 16. legitur, de ramis sanctis ex radice sanctâ, intelligendû est de prærogativâ populi DEI præ aliis, ad privilegia Ecclesiæ, ut patet ex v. seqq.

Q. IV. Quid tenendum sit de Fide minorennium, ante usum S. Cane?

R. Fides, quâ in baptismo donantur infantes, piâ institutione non tantum conservanda est, sed augenda, ne amittatur, erit ergo primaria cura parentum & præceptorum, ut puerilis ætas, in verâ DEI agnitione, & sincerâ pietate educetur, vid. Art. I. Sect. II. quest. IX, & X.

Q. V. Quomodo Fides in Christum, in nobis, magis magisque excitari possit?

R. Consideremus 1. Esse DEI mandatum ut credamus in Christum, 1. Job. 3: 23.

2. Nullum aliud esse medium consequendi felici-

felicitatem æternam, quam Fidem in Christum, *Act. 4: 12.*

3. Felicitatem credentium & infelicitatem incredulorum, *Joh. 3: 16, 18.*

4. Incredulos DEUM facere mendacem, *1. Joh. 5: 10.*

5. Quod sine fide impossibile sit placere DEO, *Hebr. 11: 6.*

6. Addatur Catalogus eorum, qui per Fidem salvati sunt, ex *Hebr. 11: **.

Q. VI. Quænam sint indicia veræ Fidei?

R. Indicia sive notæ veræ Fidei sunt 1. *Charitas*, (non quasi ab eâ informetur Fides, ut docent Pontificii) sed quæ eam signat & quasi foràs producit, *Gal. 5: 6. Fides per charitatem est operosa.*

2. *Animi confidentia* in adversis, *Esaj. 28: 16. qui credit non formidat*, nititur enim promissionibus DEI, &c.

3. *Cordis humiliatio*, *Phil. 2: 3. nihil per inanem gloriationem facientes, sed in humilitate alios superiores arbitrantur.*

4. *Fidei confessio*, *Rôm. 10: 10. corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem.*

5. *Affidua precatio*, nam qui veram in Deum fiduciam habet, libenter cum DEO loquitur

quiritur, scit enim se impetraturum, quæ ad voluntatem DEI petit. *Job. 16: 23.*

6. *Spei certitudo*, duo enim sunt Fidei immota fulcra, quibus innuitur, *una est Dei veritas, Hebr. 6: 12.* (cui includitur DEI benignitas, *Eph. 1: 4.*) *altera, DEI potentia, Eph. 3: 20.*

Q. VII. Quomodo instituendi sint, qui de infirmâ fide conueruntur?

R. His diligenter inculcandum est, 1. quod etiam pii cum infirmitate Fidei sæpè colluctati sint, ut *Abraham, Gen. 15: 1. seqq.* *David, Psal. 13: 1.* *Apostoli, Luc. 17: 5.* *Pater Lunatici, Marc. 9. 24.*

2. Quod DEUS homines ob Fidei infirmitatem non rejiciat, *Esaj. 42: 3.* & jubeat infirmiores in Fide recipi, *Rom. 14: 1.*

3. Quod ipse Christus oret, ne deficiat Fides nostra, *Luc. 22: 32.* & Spiritus sanctus oret, *Rom. 8: 26.*

4. Quod sine distinctione Fidei firmæ vel infirmioris dixerit Christus: *qui crediderit saluus erit, Marc. 16: 16.*

5. Interim monendi sunt, ut mediis in Fidei augmentum crebrò utantur, ut sunt: Verbi auditio, S. Cœnæ usurpatio, precum ex-

cum exercitum, & inculpatæ vitæ studium.

Q. VIII. An Fides possit cogi: & an impii ad Fidem veram amplectendam violenter cogendi sint?

Resp. 1. Nullum de hac coactione in sacrâ scriptura extat mandatum, nullum exemplum.

2. Verbum DEI est, è cuius auditu fides concipitur, *Rom. 10: 14. 17.* & est medium convertendi impios & hæreticos, *2. Cor. 10: 4. Hebr. 4: 12.*

3. Solus DEUS dominatur conscientiis, & ipse ordinaria media fidei & conversionis hominibus præscripsit, *Marc. 16: 16. Rom. 1: 16.*

4. Verba Christi, *Luc. 14: 23. compelle eos intrare*, intelligenda sunt de vi & efficaciâ verbi seu ministerii, & afflictionibus.

ARTICULUS XI.

DE LEGE ET EVANGELIO.

Medium sive organum offerens salutem & reparationem per Christum præstitam, est verbum Dei; estque Lex & Evangelium.

Membrum *primum* De Lege Scil. morali sive Decalogo.

DE PRIMO PRÆCEPTO.

SECTIO I.

DE ZELO ERGA DEUM.

Q. I. Quid ad timorem erga DEUM nos exstimulare possit?

R. Ad timorem DEI merito nos exstimulare debet, 1. Dei Beneplacitum; quia beneplacitum est Domino, super timentibus eum. Psal. 147: 11.

2. Nostra felicitas, beatus vir qui timet DEUM, potens in terrâ erit semen ejus, Psal. 112: 1, 2. add. Psal. 103: 11.

3. Majestas DEI, nimis excelsa, ideoque pertimescenda, Jer. 5: 22.

Q. II. An DEUM rectè colant, qui eum saltem metu pœna colunt?

R. 1. Solo metu pœnæ qui DEUM colit, verè pius non est, hoc enim est proprium Diaboli, Matth. 8: 29. & impiorum, Exod. 8: 15. Conf. Rom. 8: 15.

2. Interim ob metum pœnarum Deus etiam est timendus, ideo punitorum exempla notata sunt, ut nos periculo ipsorum sapere discamus, 1. Cor. 10: 6. Conf. Matth. 10: 28.

3. Magistratus, qui Minister DEI est, etiam metuen-

metuendus est propter pœnam, Rom. 13: 4. 5.

4. Pœnæ metuuntur, quia nemo sibi ipsi malè vult, optatque magis DEUM sibi propitium, & beneficum, quam iratum, & scelerum vindicem.

Noster autem timor filialis esse debet, qui propter DEUM peccata & offensam cavet, & cum amore Dei conjunctus est, juxta præfationem B. Lutheri ad omnia præcepta Decalogi.

Q. III. *Cum Deus sit timendus & amandus, quid ergo ad amorem DEI nos incitare possit?*

Resp. Ad amorem DEI incitamur, quia 1. præcipuum & summum omnium præceptorum est dilectio, quæ præeminet omni cognitioni, Eph. 3: 19.

2. Nihil suavius est homini quam amari, quanto magis ipsi DEO, qui misericordiam facit in multa millia, Exod. 20: 6. Conf. Tbren. 3: 23. &c.

3. Innumera nobis exhibet beneficia, ut eum diligamus, & hæc beneficia erunt quasi funes dilectionis, leg. Ose. II: 14: seqq.

4. Imò hac de causâ vocat se Deum, & Patrem

Patrem & Maritum nostrum, ut eum diligamus, (*DEUS super omnia, Pater & maritus sunt etiam diligendi,*) leg. *Esaj. 54: 4. seqq. conf. Psal. 103: 13.*

Q. IV. *An ullus homo in hoc seculo DEUM sufficienter amare possit?*

R. Neg. quia amor in DEUM ex viribus humanis undequaque absolutus, ut nihil addi possit, imperfectus & insufficientis est; ergo rectè consulitur conscientiis nostris, si imperfectionem & defectus nostros agnoscamus, & deploremus, DEO adhæreamus certo credentes DEUM istos defectus propter Christum nobis non imputaturum, *Rom. 8: 1.*

Q. V. *Quibus mediis obtineri possit gaudium spirituale in Deo?*

R. Gaudium spirituale in DEO, promanat ex amore in DEUM, & est quando Christianus, in quo est vera DEI dilectio, exultat & latatur in Domino, inque eo sentit omnem dulcedinem & jucunditatem, posthabitis omnibus rebus mundanis, leg. de fructibus Spiritus sancti, *Gal. 5. 22.*

Media ad hoc gaudium consequendum sunt:

I. Quotidiana beneficiorum Dei *meditatio*, ut-

no, utpote qui nos fecit, è potestate Diaboli vindicavit, sanctificavit, &c. *Psal.* 92: 5, 6.

2. Rerum mundanarum *aspernatio*, namque quamdiures terrestres animum detinent, non potest homo se ad DEUM recipere, inque eo delicias animæ quærere, *leg. Psal.* 73: 25, 26.

3. Ad hoc gaudium obtinendum plurimum conducit *bona conscientia*, quâ Hiskias in agone constitutus se erigit, *Esa.* 38: 2, 3. *conf.* 1. *Joh.* 3: 21.

4. *Spes* futuræ vitæ, nobis hoc gaudium in DEO conciliat, *leg. Matth.* 5: 12. & *Luc.* 10: 20.

Q. VI. Quid sit Zelus DEI & quæ ejus indicia?

R. Zelus DEÏ genuinus, est justus fervor hominis Christiani, in iis quæ ad gloriam DEI spectant, promovendis & vindicandis, exemplo *Mosis*, *Exod.* 32: 19. & *ipsius Christi*, *Luc.* 19: 4, s. indicia vero hujus Zeli sive fervoris sunt:

1. Si sit ille secundum scientiam, *Rom.* 10: 2.

2. Si fuerit fervens in officio, *Act.* 18: 24.

seqq.

3. Si sibi met ipsi non magis quam aliis parcat, *Matth.* 7: 4.

K

4. Si

4. Si non possit ferre impios, *Apoc.* 2: 2. quamvis sint aliâ ratione maximè conjuncti, *1. Reg.* 15: 13.

5. Si indignatio adversus peccata conjungatur, cum dolore & commiseratione respectu peccantium, *2. Cor.* 12: 21.

6. Si sit constans & sui similis in quavis conditione, *Gal.* 4: 15. 18.

Q. VII. Quibus argumentis ad fiduciam in Deum collocandam excitemur?

R. 1. Memorando plurima S. Scripturæ dicta, hanc fiduciam confirmantia, *Psal.* 2: 13. *beati omnes qui confidunt in eo*, *Prov.* 18: 10. *Nomen Domini turris fortissima*, &c.

2. Considerando piorum exempla, *Davidis*, *1. Sam.* 17: 45. *Hiskie*, *2. Reg.* 19: 15. *seq. Josaphati*, *2. Paral.* 20: 6. *seqq.*

3. Perpendendo quam fluxa & fragilia sint omnia humana, *Psal.* 39: 6-9 *conf.* *1. Job.* 2: 15-17.

Q. VIII. Quæ sint notæ veræ humilitatis erga Deum?

R. Veræ humilitatis erga DEUM notæ sunt:

1. *Agnitio* propriæ nostræ imperfectionis coram ipso, *Esaï.* 40: 6. *seq.* *1. Pet.* 1, 24.

2. *Corr-*

2. *Confessio* maximi nostri reatus, ratione peccatorum in ipsum commissorum, *Rom.* 3: 19.

3. *Submissio* cum silentio ad judicia DEi, *Job.* 1: 21. superbus autem respondat. *Rom.* 9: 19. *seqq.*

4. Gratia & misericordia DEi *amplificatio*, in omnibus ejus beneficiis, *Psal.* 116: 12. *seqq.*

5. Omnis dignitatis nostrae *depositio*, coram DEo, & in ejus cultu, *Luc.* 18: 13.

6. Officiorum licet viliorum *susceptio*, *Syr.* 3: 19. 23.

Q. IX. *Quid propriè sit patientia?*

R. 1. Patientia vera non est (1) quando quis quasi mentis inops omnia sustinet, quæ repellere potest ac debet, (2) quando Pastores, Magistratus, Parentes subditis & liberis nimium indulgent, ut mites appellentur, sed notent illud, *Jer.* 48: 10.

2. Patientia verè est, cum verâ animi humilitate sustinemus adversa, *Mich.* 7: 9. *iram Domini portabo, quia peccavi ei*, & hæc (1) nititur verâ fiducia in DEum, quæ patientiæ fons est, *Jac.* 1: 3. (2) Obmutescit, *Psal.* 39: 3. (3) agnoscit peccata, *Thren.* 3: 19.

(4) orat, *Psal.* 38: 2. (5) opem expectat, *Psal.* 77: 12.

3. Impatientia vero est grave delictum, ex quâ alia delicta nascuntur, scil. ira, odium, (ex odio cædes, *Gen.* 4: 5, 8.) convitia, blasphemiæ, criminationes, &c. cavenda ergo est impatientia, *Psal.* 42: 12.

SECTION II.

DE DIIS ALIENIS.

Q. I. *Quid sint Dii alieni?*

Resp. 1. Deorum alienorum nomine venit, quidquid divino honore colitur, & eodem cultu Deo adjungitur, *Exod.* 20: 2.

2. Sic varia idola recensentur in Vet. Test. ut Baal, Baal-Peor, Baal-Sebub, Bel, &c. quæ adorabant.

3. Sic hodie adorant Pontificii sanctos, Angelos, Mariam, &c. Frivola est eorum distinctio inter λατρεία, θελεία & ὑπερθελεία, illam Deo assignant, istam sanctis, hanc Mariæ virgini; sed notent illud, *Matth.* 4: 10.

Q. II. *Sed suntne inter nos idola, quæ coluntur?*

Resp. Merito inter idola numerantur & h. l. inseruntur, quæ ceu idola colunt homines, præsertim hujus mundi illecebris occacati,

cæcati, ut sunt *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & vita fastuosa*, quæ non sunt a Patre cœlesti, ut loquitur Johannes 1. Epist. 2: 16.

Ambitiosus honos & opes & fœda voluptas. Hæc tria pro trino Numine mundus habet.

2. III. Unde dignoscatur ambitiosus honos?

Resp. Ambitiosus honor & immoderata gloriæ cupiditas dignoscitur ab effectis, quæ varia sunt, namque ambitiosi & gloriosi, 1. opponunt sese Deo, cui omnis debetur gloria: ut *Pharao, Exod. 5: 2, 3. Nebucadnezar, Dan. 4: 27. Herodes, Act. 12: 21. seqq.*

2. Non possunt ferre parem, multo minus superiorem, ut *Absolon, 2. Sam. 15: 10. seqq.*

3. Seditiones, turbas & lites excitant, ut *Aron & Miriam, contra fratrem Moïsen, Num. 12: 1, 2.*

4. Sunt immisericordes, sicut *Esau, adversus fratrem Jacob, Gen. 27: 41.*

5. DEi iram non timent, qui superbos dissipare potest, *Luc. 2: 51, 52. 1. Pet. 5: 5.*

6. Seipos non agnoscunt, quam viles sint & abjecti vermiculi, *Syr. 10: 9. seqq.*

7. Seipos in miserias conjiciunt, ut *protoplasti, Gen. 3: 6.*

Q. IV. *Quanam dari possunt remedia contra κενοδοξίαν?*

R. Inter remedia sat validum est i. *sui ipsius cognitio*, cogitent quam depravata sit tota natura per lapsum protoplastorum, omni gloria & honore spoliata; Corpus variis morbis obnoxium, & hinc Bernhard.

Post hominem vermis, post vermemfator & horror: Sic in non hominem vertitur omnis homo.

2. *Sanctorum imitatio, Abrahami, Gen. 18: 27. Mariae, Luc. 1: 38. Pauli, 1. Cor. 15: 8, 9. imò ipsius Christi, Phil. 2: 5. seqq.*

3. *Periculorum consideratio, leg. Syr. 3: 19-30.*

Quapropter sit quilibet sua sorte contentus, & quamcunque nactus est spartam, illam pro virili exornet, *Rom. 12: 7, 8, 16. repet. Syr. 3: 22.*

Q. V. *Quomodo frenanda sit cupiditas divitiarum?*

R. Πλεονεξία sive cupiditas habendi, si animum nostrum occupaverit, cui ægrè quidem resistitur, cogitandum tamen est pio homini, quomodo huic cupiditati maximè noxiæ, occurrendum sit. i. est maximè noxia, quia ab Apostolo verè dicitur *radix omnium malorum*, *1. Tim. 6: 9. 10.* & à vet. sapientibus: *acropolis omnium vitiorum.*

2, Nocet

2. Nocet *menti*, quam nunquam quietā relinquit; *avarō enim semper deest, etiam id quod habet, quia eo contentus non est.*

3. Nocet *corpori*, quia noctu diuque per frigus & æstum, per mare, per terras, avarus quærit corruptibiles hujus mundi divitias, quas cum magno cumulo corraserit, frui iis non audet, *leg. Eccl. 6: 1-6.*

4. Nocet *proximo*, quem defraudavit, *leg. Syr. 34: 25. seqq.*

5. Nocet *æternæ salutis*, sæpe enim opes homines atheos reddunt, plus fiduciæ ex pecuniola arcæ inclusa percipiunt, quam ex omnibus promissionibus divinis, *Luc. 12: 19.*

6. Nec juvant possidentem in die iræ, *Ezech. 7: 19. Seph. 1: 18.* & memorabile est dictum salvatoris, *Matth. 16: 26. quid prodest homini, si lucratus fuerit totum mundum, &c.*

Quæramus ergo primum regnum DEi & justitiam ejus, & omnia adiicientur nobis, Matth. 6: 33.

Q. VI. *An ergo possit christianus bonâ conscientia opes possidere?*

R. Aff. I. Quia ex S. Scriptura patet divitias esse donum DEi, *Prov. 10: 22. Syr. 12: 14, 15. &c.*

2. Sancti DEi homines in opum abundantia vixerunt, ut *Melchisedech*, Rex Salem, *Abraham*, *Isaac*, *Jacob*, *David*, leg. *Gen. 14: 18. seqq. &c.*

3. Potest ergo verè Christianus bona cum conscientia possidere divitias, si sint bene partæ, recte usurpatæ, cum ἀνταρξία conjunctæ, quam commendat Apostolus, *1. Tim. 6: 6.*

4. Non obest (1) factum primitivæ Ecclesiæ, quia ex libera voluntate contulerunt in usum pauperum, quod liberum fuit, *Act. 5: 4.*

5. Nec (2) mandatum Christi, *Matth. 19: 21.* fuit enim singulare, quo jactantiam juvenis de plena legis observatione retundere, ejusque obsequium peculiari casu probare voluit.

6. *Maneat igitur divitiarum usus & toleratur abusus.*

Q. VII. Quid de luxuriâ in victu notandum veniat?

Resp. 1. Luxuria in victu & cibi apparatu ejusque fruitione taxatur à Christo, Luc. 12: 19. & 16: 19. add. Dan. 5: 1.

2. Luxuria in potu quia frequentissima, ita & nocentissima, namque (1) Ebrietas hominem usu rationis privat, ut neque DEum, neque

neque aliud quidpiam intelligat, *Esaï. 5: 11. seqq.*

2. Fastidiunt verbum DEI, *Luc. 21: 34. & 1. Pet. 4: 8.*

3. Abutitur ebriosus Dei donis, evomendo, &c. Exhorrescimus ubi panis pedibus conculcatur, vinum autem & cerevisiam effundere flocci faciunt.

4. Ebriosi beluinam induunt naturam, alii ut Ursi & Leones se gerunt, alii ut canes mordaces, alii porcorum instar in cœno peccatorum se volutant, alii simias imitantur, &c. Experientia teste, *leg. insuper Prov. 20: 1.*

5. Hoc crimen multa alia secum trahit, apud ebriosos enim nullus est timor DEI, nulla disciplina, honestas, virtus, &c. verè ergo in ebrietate est *ασωτία*, ut loquitur Apostolus, *Eph. 5: 18.*

6. Ebriosos multa manent incommoda, ad inopiam rediguntur, in varios morbos incurrunt, rationem potando exuunt, repentina sæpè morte extinguuntur, & in æternum exitium se præcipitant; *Summa: Ebriosus confundit naturam, perdit gratiam, incurrit damnationem aeternam; Expergiscimini ergo ò expergiscimini vos Bacchi fratres.*

Q. VIII. Quid de luxu in Amictu statuendum?

Resp. 1. Qui luxuriantur in vestitu, longè recedunt à primo amictu protoplastorum, quos ipse DEUS vestivit, *Gen. 3: 21.*

2. Abducuntur ab imitatione Christi, cujus vestis fuit simplex, & Joh. Baptistæ, *Joh. 3: 4.*

3. Accelerant iram DEI, variasque causantur pœnas, *leg. Esaj. 3: 16. seqq.* sic taxatur vestitus divitis epulonis, *Luc. 16: 19.*

4. Est plurimorum malorum fons, & origo; Excitat in aliis pravam de hisce luxuriosis suspicionem, impedit misericordiam erga pauperes, est signum superbiæ, sumptus inutiliter profundunt, DEUM offendunt, semper quidem, maximè vero templum accedentes, & scandalum aliis præbentes, &c.

5. Ornatus tamen in vestibus pro cujusq; conditione & vitæ genere, DEO non displicet, modo vitetur superfluitas, & stulta κακολογία exterorum populorum, sic laudatur vestitus *Aaronis, Syr. 45: 9-16.* & *Salomonis Matth. 6: 26.*

DE SECUNDO PRÆCEPTO.

SECTIO I.

DE JURAMENTIS.

Q. I. An licitum sit jurare?

R. Aff. quia 1. Verum & legitimum juramentum est virtus secundi præcepti, *Deut. 6: 13. in nomine meo jurabis*; moralia autem in Novo Test. non sunt abrogata,

2. Juramentum oritur ex recta in DEUM fide, quod existimamus omnia oculis ejus esse obvia, *Jer. 23: 24.*

3. Juramentum spectat ad gloriam DEI illustrandam, & proximi salutem promovendam, *Ezech. 33: 11.*

4. DEUS jurat, *Gen. 22: 16.* (2) Christus *Job. 5: 23. 24.* (3) Angeli, *Apoc. 10: 6.* (4) Et sancti in Vet. & Nov. Test. 1. *Sam. 20: 17.* 2. *Cor. 1: 17.*

5. Not. quod *Matth. 5: 34.* & *Jac. 5, 12.* prohibeatur modus jurandi ex levitate non ex necessitate,

Q. II. An Juramentum religionis Sacra Scriptura sit consentaneum?

Resp. Aff. Quia tale juramentum ad explorandam in Articulo fidei & doctrinae sententiam, & ad promovendam religionem sinceram, magna cum utilitate usurpatur, Conf. Art. II. De DEO, Sect. II. Quæst. VI.

Q. III. Quid de eo more sentiendum, quod jurans tangat Biblia Sacra vel Evangeliorum volumen?

Resp.

Resp. Potest tolerari mos iste, si quis tangens librum, juret coram DEO, se vera dicere, quemadmodum vera credit, quæ in Evangelio leguntur.

Q. IV. Quibusnam in rebus juramenta sint admittenda?

Resp. Multa sunt homini pio consideranda antequam juret, ne vel in temeritatis vel perjurii periculum incidat, nomenque Dei profanando, pœnas in lege dictas, *Exod. 20, 7.* incurrat, materia ergo juramenti liciti erit res certa, magni momenti, possibilis & honesta.

Q. V. Quæ persone habiles sint, ut vel ipsi jurent, vel juramentum eis deferatur?

R. Non quilibet promiscuè ad jurandum sunt admittendi, sed ii tantum qui sui juris sunt, & quid jurent perpendere possunt, non ergo admittendi pueri, virgines, nec facile maritæ, servi & ancillæ aliique, qui à superiorum potestate dependent; nec admittendi sunt ebrii, leves & suspecti, furiosi & coacti.

Q. VI. An de re exigua liceat jurare?

R. Nemo de re exigua facile juret, & si juraverit, & res in se honesta & possibilis fuerit

erit, se non levi quadam obligatione, sed æquè ac in rebus gravibus obstrictum esse sciatur, quia omne juramentum fit cum invocatione nominis divini, quod profanari nullâ in re debet, *repet. Exod. 20: 7.*

Q. VII. Cur perjurium fugiendum sit?

R. Perjurium est detestabile, quia 1. peccant perjuri, contra expressam Dei prohibitionem, *Zach. 5: 3, 4.*

2. Excluduntur perjuri à regno cœlorum, *Psal. 15: 4.*

3. Sunt exempla quam plurima graviter puniti perjuri, ut *Hosæ* regis Israel, *2. Reg. 17: 4.* *Zedecie* Regis Juda, *2. Chron 36: 11-21. &c.*

4. De perjuriis & ipsorum pœna, *vide in ordinant. Eccles. de frivole jurantibus, §. VIII.*

Q. VIII. An aliquando juramentum non obliget?

R. Promissio jurata licet alias valida, non obligat, 1. Si res juramento promissa fiat illicita, impossibilis & inutilis; sic Herodes non fuisset obligatus ad dandum saltatrici caput Johannis Baptistæ, *Matth. 14: 7, 8, 9.*

2. In malè pactis rescinde fidem, namq; injustè jurantes peccant, & si illud adimpleant, scelus scelere cumulant, tale fuit juramentum *Davidis*, *1. Sam. 25: 21.*

3. Si

3. Si status rerum & personarum mutetur; sic propositum suum mutavit *Paulus*, impedimentis intervenientibus, 2. *Cor.* 1: 17.

4. Si juramenta fuerint mutua & reciproca, & ex unâ parte non servetur promissum, tunc nec altera pars tenetur stare promissis, juxta illud:

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

SECTION II.

DE MAGIA.

Q. I. Quid sit Magia?

Resp. *Μάγος*, Vocabulum Perficum est, & *sapientem* notat; Magia seu ars magica, *sapientia*, quam magus profitetur, estque *naturalis* vel *prestigiatoria*.

Naturalis, quæ causas naturales, sed paucis obvias, vel per occultas qualitates plerumque ex effectu cognitæ, mira producit opera, idque ut plurimum per sympathiam, vel antipathiam, paucis tamen cognita.

Prestigiatoria verò Magia est, quâ creaturæ DEI, arte diabolica aliter usurpantur, quam à DEO sunt ordinatæ, sive ad inferendum, sive ad propulsandum aliquod malum, de quâ h. l.

Q. II. Quid sint *sage* vel quibus *notis* seu *signis* dignoscantur?

Resp.

Resp. Sagæ à sagiendo dictæ, sagire est acutè sentire, & quasi præodorari, quia illis longa rerum prænotio tribuitur, quarum notæ sunt:

(1) *Serium propositum serviendi Diabolo.* *Exod.* 22:18. (2) *Totalis à DEO defectio,* 2. *Chron.* 33:6. (3) *Fædus cum Diabolo initum, & scripto ipsorummet sanguine sæpè exarato, confirmatum, additis signis in abditissimis corporis partibus,* *Deut.* 18:11.

De magis & sagis vid. edictum S. R. Maj. in *Ordin. Eccles.* de juramentis frivolis, §. IX.

Q. III. *An verisimile, magos magasque in loca remotissima transferri (Blåtulla) ibique comessari, & choreas agere?*

Resp. I. Non dubium est, Diabolum sæpè illudere hominum sensibus & phantasmata eorum ita regere, ut in locis a se desideratis esse videantur, corpore interim domi relicto.

2. Sed posse Diabolum corpora suorum mancipiorum aliò transferre, certum est, quod enim jussu DEI faciunt boni Angeli, (leg. *Fragm. Danielis* v. 32: seqq. de *Habacuc* ab Angelo deportato:) id permissu DEI facit Diabolus, *conf. Matth.* 4:5.8.

3. *Nostra anima, quæ Spiritus est, movet & impel-*

& impellit corpus nostrum, quid ni Diabolus *μυελοτεχνίτης*, eadem & faciliori velocitate impellere corpora possit?

4. Experientia & confessio sagarum, hoc multis cum circumstantiis testatur.

5. Fit autem hoc à Diabolo. (1) Ut fœdus cum ipso redintegrent, (2) testentur quanta alacritate ei serviant. (3) ut ei malefactorum suorum rationes reddant, quod ni fecerint cæduntur. (4) ut juniores & liberos seducant.

Q. IV. An Sagarum tempestates ciere possint?

Resp. I. Solus Deus vi & potestate propria, tempestates ciere potest, *Job. 28:26. & 38:25.*

2. DEUS interdum Diabolo permittit, præstigias in aëre exercere, *leg. Job. 1:18, 19.* hinc dicitur princeps aëris, *Eph. 2:2.*

3. Sed limitatam habet potentiam voluntate nutuque DEI, absque quo nec pediculum producere potest, *Exod. 8:18.* nec sacrificia Baalitica incendere, *1. Reg. 18:26.* quomodo ergo magi id possunt?

Q. V. An magi suâ arte homines possint convertere in bestias?

Resp. I. Solus DEUS hoc sibi reservatum habet, creare novam creaturam, & unam
in

in alteram verè mutare, *Job. 2. 9 10.*

2. Illusio Satanæ est, quæ miseris hominum mentes ita dementat, ut quod non sunt, sibi & aliis esse videantur, cum his sæpè concurrit morbus, quem *Lycanthropiam* vocant, qui est melancholica affectio, qua qui afficiuntur *Lycanthropi* dicuntur, quia lupos imitari videntur, & credibile est, huic morbo se immiscere Diabolum & miseros ludificare, sive magorum opera accedat, sive non.

3. Huc non pertinet exemplum Nebucadnezaris, cui usus rationis ad tempus erat ademptus, *Dan. 4: 27-31.*

Q. VI. An saga lac ex uberibus hominum pecorumque furari possint?

R. 1. Homines & jumenta servat DEUS, *Psal. 36: 7.* sed cum Diabolo potestatem permittit, is non tantum lac, sed & alia bona proximi furari & eripere potest.

2. Licet nulla sagarum, auxilio Diaboli unquam ditata fuerit, promittit tamen eis bona proximi, ut in devotione suâ eas retineat, idcirco jubet ex cultris, clavibus, clavis, colo & similibus emulgere lac, unde etiam effluere videtur, sed Diaboli est ludibrium, aliunde lac adducentis, quod proximo

ximo mirâ celeritate, furto subtraxit.

Q. VII. An quis salvâ conscientiâ possit facere se ἄφρων?

R. Neg. quia nemo sine suspitione magiæ efficere potest, ut in media hominum turbâ aliorum conspectum effugiat; quod quidam pro ludo & joco habent, sed DEUS in lege *prestigiatores*, h. e. qui oculos hominis perstringunt, morti addixit. *Exod. 22: 18.*

Historia Elisæi, *2. Reg. 6: 18.* huc non quadrat, quia DEUS ipse hostes cæcitate percussit, ne agnoscerent Prophetam.

Q. VIII. Estne magicum contra injuriam globorum & icium hostilium, corpus suum facere immune?

Resp. Aff. 1. Caret enim mandato, & exemplo piorum in populo DEI, ubi difficilia bella contra hostes gesta sunt; Davidis clypeus erat altissimus, *Psal. 91: 1-7.*

2. Magicum ergo & illicitum est corpus ita immune facere, quemadmodum illicitum est voce vel fistulâ hostes in fugam vertere, bombardas adjurare ne explodantur, &c.

Q. IX. Quid de incubo statuendum est?

Resp. 1. Datur ejusmodi affectio, quam Græci ἐφιάλτην, latini incubum vocant, cum
quis

quis sentit super se quasi incubantem quendam, spiritum ipsius angustantem, vocem infecantem, & omnium membrorum motum impediendem; Estque vel *Naturalis* vel per *suppressiones sagarum*.

Naturalis fit ex impedito spirituum naturalium influxu, in nervos & musculos thoracis, hinc mole incumbentis oneris premi creditur, propter læsam ex restagnatione spirituum impeditorum phantasiam, & hic rarior est; sed incubus per *suppressiones sagarum* est frequentior.

Q. X. An liceat inquirere res amissas per divinationem magicam?

R. Neg. 1. quia ejusmodi prædictiones fiunt per varia instrumenta, per *cribrum*, *pelvim*, *scyphum*, *speculum* &c. item per *sortium observationem*, quæ omnia illicita sunt, & impia; si aliquando effectus sequatur, fit id operâ Diaboli, qui non rarò innocentibus nocet, quod tandem Dies aperit.

2. Nec juvat illos illud *Gen. 44: 5. 15.* de scypho Josephi, siquidem Vir sanctus arte diabolicâ se non contaminavit, sed hac simulatione trepidationem fratrum augere voluit.

Q. XI. An liceat artibus magicis uti contra magos? (Resp.)

R. 1. Omnes diabolorum artes veris Christianis suspectæ esse debent, quia quidquid magicum est, id DEO est adversum, & à pietate alienum, etiamsi magnum commodum inde eveniat, certum enim est axioma Apostolicum *non esse facienda mala, ut eveniat bonum, Rom. 3: 8.*

2. Nobis autem (1) frequens sit in ore nomen JESU, *leg. Act. 8: 5-7.* (2) assidua nobis erit lectio & meditatio verbi DEI, (3) vitæ sanctitas, (4) Domus nostræ sint domus preceationis, (5) firma fiducia in DEUM, *vid. precept. I. quest. VII.*

Q. XII. *An Magistratus magos & sagas capitali supplicio, jure possit ac debeat collere?*

R. Aff. quia 1. severum est DEI mandatū, *Exod. 22: 18. prestigiatores ne sinas vivere,* 2. Magi & sagæ pactum habent cum Diabolo, & abjurant foedus quod cum DEO inierunt in baptismo. (*vid. quest. II.*) quod est scelus maximè enorme, 3. sunt idololatræ, homicidæ, fures. *vid. quest. II. & VI. &c.*

Notandum tamen, quod quædam Sagæ sint melancholicæ, & ita à Diabolo excæcantur, ut se cum eo foedus inisse & se vel hæc vel illa facinora patrassè, existiment, eaque po-

stea confiteantur, cum tamen meræ sint imaginationes & illusiones; hæ sunt commiseratione dignæ.

Q. XIII. An sit æquum, ut libri Magici vulcano tradantur?

Resp. Aff. Quia nihil periculosius malo libro, inquit Erasmus; sunt enim muti Magistri, qui si mali sint & eleganter & methodicè conscripti, venenum occulto quodam habitu instillant. *Leg. Act. 19: 18, 19.*

Q. XIV, An magi, sage, venefica Glamia, apud DEum in gratiam recipi possint.

Resp. I. Quamvis valde difficilis sit magorum & Sagarum conversio, ob initum fœdus cum Diabolo, vid. Quest. II.

2. Scimus tamen, ubi abundaverit delictum, ibi superabundabit gratia, *Rom. 5: 20. conf. Psal. 86: 15.*

3. Sic conversi sunt, quos dementavit Simon magus, *Act. 8: 9-12.* & ipse magus in gratiam receptus esset, si cor ejus fuisset rectum; baptizabatur enim à Philippo, sed decepit eum avaritia, *v. 19, 20. conf. Act. 19: 17, 19.*

SECTIO III.

DE BLASPHEMIA.

Q. I. Quotupliciter blasphemia committatur?

Resp. Committitur vel in DEUM ipsum, vel in homines pios, sanctos & beatos, vel denique in doctrinam orthodoxam, *Apoc. 13: 6.* *Aperuit os suum in convitia ad DEUM, ut convitiis afficeret nomen ejus, & Tabernaculum ejus, & eos qui in cælo habitant: in quo dicto blasphemantur, DEUS, Sancti, ac Doctrina, quæ in Tabernaculo prædicatur.*

1. Blasphemia in DEUM committitur, (1) cum DEO tribuimus, quæ vel ejus essentia vel voluntati, ejusque sanctitati, misericordiae & justitiæ, &c. adversantur, quod faciunt blasphemihæretici. (2) Cum quæ Deo tribuenda sunt, ipsi impiè negantur. (3) cū impiè vivitur, *Esaj. 52: 5. Rom. 2: 24.*

2. Blasphemia in sanctos viros committitur, quando pro excrementis habentur, *1. Cor. 4: 12, 13.* huc pertinent convitia in presbyteros, magistratus & parentes, *conf. præcept. VIII. Q. XX, XXI. de Calumnia.*

3. In sanctos & beatos Cœlites, cum cultū soli DEO debitum illis exhibent.

4. Blasphemia in Doctrinam sinceram committitur, quando heterodoxi, clarum DEI verbum, in pravum sensum perventunt.

Q. II. Quid est Blasphemia in filium hominis?

Resp.

R. ea committitur (1) *incredulitate per ignorantiam*; Sic Paulus fuit blasphemus, quod fatetur ipse 1. *Tim.* 1: 13. (2) *Abnegatione doctrina Evangelica prius agnita*; Sic Petrus peccavit, *Matth.* 26: 69. *seqq.* (3) *opugnatione & finali incredulitate*, *vid.* *Hafsenreff.* in LL. CC. Art. de peccato.

Q. III. *Estne Blasphemia grande peccatum?*

R. Aff. quia (1) Diabolus per os blasphematoris loquitur, eum nomen DEI criminari jubet. (2) gravis pœna lapidationis statuitur in Blasphematorem, *Lev.* 24: 10-16. (3) hoc peccatum proximè accedit ad peccatum in spiritum sanctum, (4) blasphemiam manet & subsequitur pœna & damnatio æterna, 1. *Cor.* 6: 10. *blasphematores regni DEI hereditatem non accipient*, (5) cum non tantum grande sed & valdè frequens sit hoc peccatum, ideo Sacra Regia Majestas in ord. *Eccles.* edictum publicavit, de frivole jurantibus, *vid.* §. I. II. III. IV. V. VI. VII.

Q. IV. *An quis absque peccato possit blasphemiam audire?*

R. Neg. quia DEUS gravem pœnam minatur ei, qui diras blasphemias audit, tolerat & celat, *Lev.* 5: 1. *Si peccaverit anima & audiverit*

diverit vocem jurantis, testisque fuerit, quod ipse vidit & conscius est, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam, &c.

SECTIO IV.

DE VOTIS,

quæ soli DEO, per invocationem nominis divini, nuncupantur: *vid. Artic. II. de Deo Sect. III. Quest. I-VIII.*

SECTIO V.

DE SOMNIIS ET SORTIBUS.

Q. I. An ex somniis liceat, quid futurum sit colligere?

R. Hoc seculo non licet, quia 1. DEUS sub gravi pœnâ prohibuit somniorum interpretes consulere, *Deut. 18: 10, 11.* 2. Diabolus sæpè à vero DEO hoc modo abducit, *Deut. 13: 2.* 3. Manasses exosus fuit DEO, quod somnia æstimaverit, *2. Chron. 33. 6.* 4. Scriptura res vanissimas somniis confert, *Eccles. 5: 6.*

Q. II. Quàm varia sint somnia, & unde dignoscenda?

R. Somnia sunt 1. *Ἰσόρρευσα*, à DEO suggesta, ut *Josephi, Gen. 37: 5. seqq. & magorum, Matth. 2: 13. 2. Physica, vel ex motu animi*

animi descendencia, vel fortuita ex accidenti obvenientia, *Eccles.* 5: 6. *Syr.* 34: 1-8. 3^o Diabolica, à Diabolo inspirata. *Jer.* 27: 9, 10.

Divina ex eo dignoscuntur, quod superent omnem nostrum captum & intellectum, à DEO autem certis de causis nobis revelantur. *Diabolica* ex eo, quod nos incitent ad res verbo DEI repugnantes.

Omnibus somniis, præter theopempta, inest falsa spes, *Esaï.* 29: 8. & vanus metus, *Syr.* 41: 6, quia omnes nostræ interpretationes incertæ sunt & fallaces, ex naturalibus periti medici sæpè indicant de statu morbi.

Q. III. An DEUS sit invocandus pro somniis & visionibus?

R. Nec de futurorum, nec de dubiorum revelatione per insomnia, & visiones nocturnas petenda, habemus mandatum; Sed ut commendemus nos DEO quoad animum & corpus, præcipuè ubi somno & quieti nos damus, piis suspiriis rogemus DEUM pro angelorum custodia, *Psal.* 34: 8. nè extimescamus noctis horrorem, *Psal.* 91: 5. sint cogitationes nostræ piæ & castæ, & svavia erunt insomnia, *add. Orat. Vesp. &c.*

Q. IV. An que in somnis cogitamus conscientiam obligent?

Ls

Resp

Resp. De Somniis divinis Aff. 1. Quia pii ac fideles hoc modo habent somnia pia, honesta & casta, quæ vigilantes effectui dare fatagunt; & si quid humani admixtum fuerit, DEUM pro remissione ejusdem devotis precibus orent, *Psal. 32:6.* 2. impii verò & infideles, mala quæ interdum patrant, in somniis recolunt, & expergefacti illis titillantur; sed resipiscant in nomine Domini, & notent illud *Psal. 95:8. hodie si vocem ejus audiveritis, &c.* Notent & epistolam Apostoli, *Heb. 3:13.*

Q. V. An sortibus uti liceat?

Resp. Sortes sunt, vel *divinatoria*, vel *consultoria*, vel *divisoria*.

1. *Divinatoria*, ad investigandum res incertas & futuras *damnantur*, quia declaratio rei futuræ & incertæ, à DEO expectanda est; quod de Jonâ legitur *c. 1: v. 7.* peculiare est ex revelatione DEI.

2. *Consultoria*, inter eos, qui æqualis sunt juris, cum aliud medium dari non possit, dirimendæ litis, *possunt tolerari*, *Prov. 18:18.* Sic electus est, sed præmissis precibus, *Matthias Apostolus, Act. 1:26.*

3. *Divisoria*, in dividendis bonis, si invidiam

diam alio modo declinare non possimus, etiam tolerantur, juxta illud, *Prov.* 16:33.

DE PRÆCEPTO TERTIO

Q. I. *Quis diem Dominicum instituit?*

Resp. 1. Christus JESUS, qui est Dominus Sabbathi, *Marc.* 3: 28. Sabbathum mutavit, & diem dominicum instituit, qui propterea dicitur *ἡμέρα κυριακή*, *Apoc.* 1:10.

2. Hunc diem Dominicum Apostoli ad publicum conventum usurparunt, *Act.* 20:7.

3. Christus post Resurrectionem discipulis in unum locum congregatis, sæpius hoc ipso die apparuit, *Joh.* 20:19. 26. 4. Spiritum sanctum hoc ipso die super Apostolos effudit, *Act.* 2:11. *seqq.* Unde probabile est, hujus diei celebrationem statim à resurrectione Christi institutam esse, *Conf. Quest.* XI.

Q. II. *Quomodo Christianus se die Dominico gerere debeat, ut conscientie sue satisficiat?*

Resp. 1. Ab omnibus mundanis negotiis & operibus quiescat; *Lingvâ suâ* ab inutilibus sermonibus, & terrenis discursibus requiescat; *cogitatione* à carnalibus rebus abstineat, quæ à DEO seducunt, & semen verbi DEI in spinas & carduos cadere efficiunt, *Matth.* 13: 7.

2. *Quie-*

2. Quietem hanc omnem cultui divino impendat; ad hunc autem requiritur (1) ut conveniamus in Ecclesiâ, *leg. Levit. 23: 3. seqq.* (2) ut verbum Dei audiamus, Deum laudemus & invocemus, *Psal. 26: 6. 7. 8. Act. 10: 33.* (3) Ut Sacram Synaxin celebremus, *Act. 20: 7.* & si ipsimet ea non fruamur, ut tamen præsentemur, & spiritualiter communicemus, & simul cum illis mortem Domini annunciemus, *1. Cor. 11: 26.* (4) ut elemosynas erogemus, *1. Cor. 16: 1. 2.*

Q. III. *Quæ ergo specialia opera, die dominica, fieri & non fieri oportet?*

Resp. A. Fieri oportet 1. *Opera pietatis*, quibus Deus colitur & salus animarum promovetur, idque secundum ordinantiam Ecclesiasticam & Ecclesiæ praxin; *vid. Edictum Regium de prof. Sabb. §. I-XIV.*

2. *Opera Charitatis*, quæ vergunt in utilitatem proximi, & absque pietatis impedimento, possunt præstari; sic Christus multis sanitatem restituit in Sabbatho, *Luc. 13: 13. & 14: 4. Joh. 9: 19. &c.* Quia Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum, *Marc. 2: 27.*

3. *Opera necessitatis*, ut si incendium sit

exor.

exortum, asinus è puteo trahendus, bos aquatum ducendus.

B. Fieri non oportet, 1. *Verbi prædicati neglectum*, non tantum per absentiam, dum templum aut nunquam aut rarò frequentatur; sed & per præsentiam, dum perfunctoriè illud traditur & auditur.

2. *Laborum manuariorum exercitium*, in usum nostrum & proximi lucri gratia, quod severè prohibetur, *Exod. 35: 2.*

3. *Luxus*, vel aliud in præcepta DEI injuriosum, *vid præcept. I. Sect. II. Quæst. VII. & VIII.*

Q. IV. An liceat die sabbathi, studiis incumbere, piscari, &c.

Resp. Opera liberalia, quæ sunt ingenii exercendi & animi gratia, absque lucro, & specie avaritiæ, etiam in Sabbatho institui possunt, modo cultui publico nihil derogetur.

Non item *servilia*, opera opificum, mercatorum, & si quis liberalibus artibus sordidè abutitur, lucrandi causa in Sabbatho, is *serviliter* operatur contra illud *Lev. 23: 7. nullum opus servile facies in eo.*

Q. V. An Magistratus subditos ad verbi sãcri auditum, & S. Cene usum sub mulcta cogere possit?

Resp.

R. 1. Gravis est quærela DEi, *Ose. 13. 6. postquam pascha habuere & saturati sunt, elatum est cor eorum, ideo obliti sunt mei.*

2. Malitia hæc & segnities ita coërcenda: (1) Pastores prædicent verbum DEi, instent opportunè, importunè, arguant, increpent, 2. *Tim. 4: 2.* (2) Audientes se invicem exhortentur & ædificent, 1. *Thess. 5: 11.* (3) pertinaces ab Ecclesia excludantur, & pro Ethnicis & publicanis habeantur, *Matth. 18: 17.*

3. Cum primis autem Magistratus attollant portas, ut introeat Rex gloria, *Psal. 24: 7.* exemplo piorum regum, *Salomonis, 1. Reg. 8: 1. seqq. Ezechia, 2. Chron. 30: 6. Josia, 2. Reg. 23: 11, 12, seqq.*

4. Si qui non obtemperaverint, carcere vel multa in pios usus coërcendi sunt, *vid. Ordin. Eccles. de profanatione Sabbathi, §. II, III, IV. &c.*

S. Cœnam quod attinet, ad ejus usum non sunt cogendi, fides enim non potest cogi, *conf. Artic. X. de Fide quæst. VIII.*

Q. VI. Sufficiat re' domi ex Postillis legere, & publicum cultum negligere?

R. Neg. quia (1) negligentes in cultum sacrum peccant, contra ordinem divinum, *Hebr. 10: 25.* (2) sancti, licet domi possent medita-

meditari verbum DEi, tamen desideraverunt in domo DEi esse, *Psal.* 26: 2. & 84: 2.3.
 (3) unum faciendum & alterum non omittendum, *Matth.* 23: 23. *Conf. Ordin. Eccles. de prof. Sabb.* §. II.

Q. VII. An sufficiat audire conciones matutinas, & pomeridianas negligere?

Resp. Neg. Quia 1. Aliis rebus impendimus dies sex integros, cur non Deo illum diem totum? 2. Ordo Ecclesiasticus disjunctas imposuit conciones, huic nos obtemperare decet. 3. Verbum Dei nocte & die meditandum, *Psal.* 1:2. 4. David toto vitæ tempore commorari cupit in templo, *Psal.* 27: 4. 5. *Melior est una dies in atriis Domini, super mille,* *Psal.* 84: 11. 6. Deus integrum Sabbathi diem jubet sanctificare, non quasdam tantum horas. 7. Pietas divinitus præscripta non potest superfluis modis exerceri, *Ordin. Eccles. de profan. Sabbathi.* §. X.

Q. VIII. An sufficiat publicas conciones audire die solis?

Resp. Neg. I. Quoties occasio datur, debet S. Scriptura quoque legi privatim, devotisqve meditationibus addisci. 2. Qui hoc ipsi non possunt, alios prælegentes audiant.

diant. 3. Si tales habere nequeant, canticis piisque meditationibus tempus residuum consumant, *leg. Act. 17: 11.* mandatum extat, *Job. 5: 39. Col. 3: 16. 2. Tim. 3: 17. Ordin. Eccl. Cap. 11: §. VI.*

Q. IX. An pro aegrotis, melancholicis, peregrinantibus, &c. Preces fieri convenit in Ecclesiâ?

Resp. Aff. Quia 1. preces etiam pertinent ad cultum divinum, qui omnes præsentés obstringit, 2. Charitas Christiana jubet, ut proximi necessitates Deo per preces commendemus, *Jac. 5: 14.* pro nobis orare necessitatis est, pro aliis charitatis.

Q. X. Profanaturne Sabbathum multis modis frivole, quasi incognito?

Resp. Aff. Et quidem 1. *Alios libros legendo*, ut qui sic animo præsentí non adsunt, & aliis scandalum præbent, de quibus Christus, væ scandalizanti, *Matth. 18: 7.*

2. *Confabulando*, & quidem de rebus mundanis, in Ecclesiâ non est confabulandi sed discendi locus, & qui habent aures audiendi, *audiant, Matth. 13: 16.*

3. *Dormiendo*, qui adsunt corpore non animo, nihil discunt, aliis sunt scandalo, & sibi detrimento.

4. *Musica saltem audiendo, & potissimas partes devotionis & cultus divini negligendo, sed not. Syr. 1: 34-38.*

5. *Conciones legales fastidiendo; Lex & Evangelium sunt conjungenda, did. ex Matth. 3: 8. & not. illud Psalmi 141: 5.*

6. *Superbiendo, & exeundo, qui non delectantur domo DEI, & ejus cultu, Psal. 27: 4. vid. Ord. Eccles. de profanatione Sabbathi, §. VII.*

Q. XI. Quando Sabbathum incipiat?

R. In Vet. Test. inchoarunt *ἡ νύκτις* à vesperâ, *Gen. 1: 5, 8, 13. &c.* Sed in Nov. Test. rectè ordimur ab aurorâ, & inde ad proximam auroram; quia

1. Christus Sabbathum nostrum consecravit, eò, quod a mortuis summo mane resurrexerit, cum lucesceret in primo die hebdomadis, *Matth. 28: 1.* atque sic in memoriam resurrectionis Domini Sabbathum celebratur.

2. Paulus concionatus est Troade, & continuavit sermonem in mediam noctem (quæ fuit pars Sabbathi) & locutus cum illis usque ad diluculum, & ita profectus est, *Act. 20: 7, 11. vid. Quest. I.*

3. Hæret adhuc in multorum animis su-

perstitio de sanctificatione diei septimi, qui more Vet. Test. dies Sabbathi nuncupatur, alias dies Saturni, sed num. 1. & 2. in hac quæstione ista opinio refutatur, verum circa vesperam diei septimi ab operibus servilibus, & sese præparare ad diem Dominicum, & pium & necessarium est.

Q. XII. An rigorosa illa Sabbathi observatio in Nov. Test. etiamnum christianos obliget?

R. Neg. quia Sabbathi Dominus, *Matth. 12: 8.* suo exemplo docuit nos non ita rigorosè in Nov. Test. teneri ista externâ requie, dum opera charitatis die Sabbathi indigentibus exhibita, sanctificationi ejus nihil derogare ostendit, *Matth. 9. 7. Luc. 14: 4. Job. 5: 9. Et conf. Quæst. III.*

Q. XIII. An nuptias die Dominico aut festo celebrare liceat?

R. 1. Qvi nuptias parant, se & alios a cultu sacro avocant, quod prohibetur à DEO, *Exod. 31: 14.*

2. Nuptiæ præbent occasionem ebrietati, & lasciviæ, quæ vitia imprimis pugnant cum sanctificatione Sabbathi.

3. Optima ergo est sententia eorum, qui vel

vel in alium diem differendas, vel die Dominico finitis sacris vesperi demum celebrandas esse statuunt. *conf. Ordin. Eccles. de profan. Sabbathi §. X. confer. etiam in præcepto sexto, Quest. XV.*

Q. XIV. An nundina diebus festis institui possint?

R. 1. Nundinatio est res merè politica, qua exercitia pietatis facilè impediuntur, *Exod. 31: 13. seqq.*

2. Nehemias eos, qui nundinationibus Sabbathū violabant, severè corripuit, *Neh. 13: 15-21.*

3. In nundinis communiter varia committuntur scelera, veluti mendacia, perjuriam, fraudes, homicidia, &c. quibus dies sacer profanatur, *vid. Ordin. Eccles. de profan. Sabbathi, §. V.*

Q. XV. An tempus Adventus Christi & quadragesimale sit sanctius habendum?

R. Aff. 1. Non quidem præcisè ex jure divino, sed ex sanctione Ecclesiæ: consistit autè hæc sanctio, 1. in prohibitione nuptiarum, & quidem propter publicos strepitus nuptiales. 2. In Musica & organorum musicalium cessatione in conviviis & conventibus. 3. in tabernarum publicarum occlusionè.

2. Causas hujus religiosioris observantiæ,

desumfit pia antiquitas, 1. ab *Eccles.* 3: 4. 2. a præparatione Israëlitarum ad festa solemniora, *Exod.* 19: 10. 3. a Pauli admonitione, ut adventum Christi sobriè expectemus, *Rom.* 13: 11-14. 4. Mylierii incarnationis & Nativitatis Christi, ut & resurrectionis devota consideratione, *conf. Art. II. de DEO, Sect. IV. Q. VI.*

Q. XVI. An templa Pontificia idololatriæ dedicata, sint demolienda?

R. Neg. quia 1. Omnia per preces & verbum sanctificantur, 1. *Tim.* 4: 5. 2. Omnia loca ad orandum conceduntur piis, 1. *Tim.* 2: 8. modò fiat in Spiritu & veritate, *Job.* 4: 23, 24. 3. Josua facultates urbis Jerichuntis in sacrum thesaurum infert, *Jos.* 6: 24. 4. Disting. inter tempora Vet. Test. Ubi de abolitione multorum locorum expressum erat mandatum, & Nov. Test. ubi non item.

Q. XVII. An sanctis templa sint dedicanda?

R. 1. Ita mos quidem obtinuit, ut templa (item aræ & dies festi) sanctis nuncuparentur: Sed veteres ubi castius loquuntur, non *templa* Apostolorum & Martyrum, sed *memorias* appellabant, ut templum DEO sacrum in memoriam Petri, Pauli, Stephani, Mariæ &c.

2. Consuetudo autem illa inscribendi templa, ex eo cœpit, quo antiquitus in iis locis ædes sint ædificatæ, in quibus *vel* mortem pro Christo obierunt Martyres, *vel* insigne aliquid gesserunt, *vel* eorum corpora condita sunt, *vel* ex quo ortum duxerunt.

DE PRÆCEPTO QVARTO.

Q. I. Quid parentibus, quibus liberi à DEO dati sunt, incumbat?

Resp. I. Misericordiam DEI grati agnoscant, *Luc. 1: 57, 58.* 2. De iis sibi gratulentur, *Gen. 21: 6.* de utroque sexu, *Gal. 3: 28.* 3. Baptismo eos festinanter initiari curent, & nominibus convenientibus eos insigniant, *Gen. 21: 24.* 4. Eos enutrient, *Eph. 6: 4. 5.* Deum celebrent, *1. Sam. 1: ultim.*

Q. II. Annon & alii honorandi sunt nomine patris præter parentem naturalem?

Resp. Aff. quia hoc honore etiam digni habentur, 1. Magistratus, *Gen. 41: 43.* 2. Ecclesiæ Ministri, *2. Reg. 13: 14.* 3. Majores nostri, *Luc. 1: 47, 48.* 4. Patres curæ & vitrici, *Luc. 2: 48.* 5. Tutores, *Gal. 4: 2.* 6. heri & Domini, *2. Reg. 5: 13.* 7. Seniores, *1. Tim. 5: 1, 2.*

Q. III. Longæva vita promittitur morigeris liberis, ac multi liberi parentibus obsequentissimi, ætate immatura diem obeunt?

Resp. Bonorum temporalium promissiones conditionales sunt, si nimirum rerum præstatio DEO sit gloriosa, & nobis salutaris; si ergo contingat morigeros liberos obire in ætate tenerâ, est eorum mors cum gloriâ Dei & liberorum salute conjuncta, prout optimè diducitur, *Sap. 4: 8 - 15.*

Q. IV. An senibus exprobrari debeat ætas grandæva?

Resp. Neg. Quia 1. hoc malè cessit pueris è Bethel, *2. Reg. 2: 23. 24.* 2. Longa vita est DEI donum, quod piis hominibus promisit, *Prov. 3: 1. 2.* 3. Pii veteres credebant hoc esse grande nefas, si juvenis vetulo non assurrexerat, *leg. Lev. 19: 32. Syr. 8: 7.*

Q. V. An Patres debeant omnes suos Liberos æquè diligere?

Resp. Aff. Nam 1. Illum, quem completitur, facillè corrumpet licentia, quod sine dubio contigit acolasto, *Luc. 15: 12.* 2. Odio & invidiâ cæteri fratres in illum inflammabuntur, *Gen. 37: 4.* 3. Quantum malum hinc eruperit, videre est in Jacobo Patriarchâ,

Gen. 37.

Gen. 37: 18. seqq. 4. si ob peculiarem vestem ita offenduntur fratres, quid facturi sint, si villa, fundus, domus, uni præ aliis a patre legentur? proinde ad familiæ pacem inter fratres *ισονομία* requiritur.

5. Plus quidem amari potest, in quo plus virtutis & industriæ reperitur, verum signo amoris non facile ostendat; iræ enim & odii occasiones a prudenti patre potius cohibendæ & retundendæ, quam irritandæ sunt.

Q. VI. An teneantur matres proprio lacte alere liberos suos?

R. I. Aff. quia (1) Providentia DEI fecit, cum ipso partu lactis copiam nasci, cujus nō est alius usus, quàm nutriendi liberos, (2) *Sara* lactavit *Isaacum*, *Gen. 21: 7.* & *Maria* *Jesum*, *Luc. 11: 27.* (3) Si fuerint nutrices lascivæ, luxuriosæ &c, una cum lacte etiam illarum mores sugunt liberi.

2. Excusantur matres, si (1) sint imbecilles, (2) ex illustri familia, quibus incumbit honestas nutrices eligere liberis suis.

3. Non excusantur aliæ mediocris fortunæ fœminæ, quæ decus esse putent, si propriorum liberorum sint nutrices.

Q. VII. An Pater debeat alimenta spurio?

R. Aff. Debet Pater alimenta spurio dare, donec seipsum honestè alere possit: Et hoc æqvitat̃ naturalis est; aliàs bis peccat Pater, cum sobolem ex illicito complexu suscipiendo, tum eandem fame necando.

Q. VIII. *An spurii & exposititii, teneantur legibus, de honorandis parentibus?*

R. Aff. quia etsi parentes tali honore non videantur digni, quia liberos ex illegitimo concubitu natos ignominiâ affecerunt, & curam paternam abjecerunt; quia tamen manet obligatio naturalis, & sanguinis conjunctio, æqvum est, ut liberi dissimulatâ parentum injuriâ, præstent ea, quæ sui sunt muneris; nam si aliis ex Christianâ charitate delicta condonare tenentur, quanto magis parentibus, hæc pars christianæ dilectionis exhibenda est.

Q. IX. *An liceat liberis parentes delinquentes redarguere?*

R. 1. Potest fieri, sed debitâ cum observantiâ, ut eorum apud alios turpitudinem, exemplo Semi & Japheti, quantum possint tegañ, pallio velut imposito; non enim probri causâ, cum parentibus contendere debent, sed tantum ut eos à vitiis revocent, & ad resipiscentiam adducant.

2, Si

2. Sitamen per alios id fieri possit, consultius est, quia à liberis vix cum decore fit, & ab iis parentes minus tolerarent, quam ab aliis.

Q. X. An parentes Orthodoxi, filios suos Jesuitis instituendos committere possint?

R. Neg. 1. Scriptura Sacra monet ut caveamus Pseudopphetas, *Matth. 7: 15. Tit. 3: 10.* qui enim picem tangit, inquinatur ab ea, *Syr. 13: 1.*

2. Julianus apostata, christianis parentibus natus & educatus, propter assiduas cum sophistis conversationes eò seductus est, ut ipsissimus incarnatus Diabolus videretur, *conf. Art. II. de DEO Sect. II. Q. XXXI.*

DE PRÆCEPTO QUINTO

Q. I. An invidia sit grande peccatum?

Resp. Cum interiores cordis motus pravi & illiciti, etiam nomine homicidii veniant, quæritur quale peccatum sit invidia? nimirum cum bene meritis suam laudem, & piis suam felicitatem quis invidet. Sanè invidia grande est peccatum;

Nam 1. ponitur invidia inter opera carnis, *Gal. 5: 20, 21.* & propterea 2. prohibetur in

tur in S. Scriptura, *Rom. 13: 13. Prov. 24: 19.*

Cavenda ergò, quia 1. malè audit in S. Scriptura, *Sap. 6: 25. Jac. 3: 16.* 2. pugnat cum charitate, quæ non æmulatur, *1. Cor. 13: 4.* 3. invidus nemini magis nocet quàm sibi ipsi, macerat enim se inanibus curis, proximique rebus *marcescit opimis*, *Prov. 14: 30.* 3. invidiâ *tabescit invidus*, *Psal. 112: 10.* 4. not. Pauli monitum, *Gal. 5: 13, 14, 15.*

Q. II. *An homicidium casuale verè peccatum sit morte expiandum?*

R. 1. Homicidium, quod potuit prævideri & adhibita diligentia vitari, morte expiandum videtur, *Exod. 21: 29.*

2. Si homicidium casuale oriatur è rei licitæ, honestæ & necessariæ exercitio, non est morte mulctandum, *leg. Deut. 19: 5.*

3. Si homicidii casualis causa existat è studio rei illicitæ, vanæ & ludicræ, sunt circumstantiæ benè considerandæ. Et si quis in talibus casibus non incurrat in vindictam Magistratus civilis, tamen in oculis DEI graver peccavit, & ideo fugiendum ipsi fuit ad civitatem refugii. *Num. 35. v. 11. Deut. 19. v. 4. seqq. Jer. 20. v. 2.*

Q. III. *Quid statuendum de illis, qui abortum quovis modo procurant?*

R. Quod grande sit peccatum, concludi potest ex *Gen. 38: 9, 10. & Exod. 21: 22. seqq.* & licet secreta sint talia peccata, & raro a magistratu pœna in ea decernatur, vindictam Dei non effugient, *Gal. 5: 19. seqq.*

Q. IV. *Quid censendum de illis, qui vindictæ cupiditate, statim ad duella & gladios profiliunt?*

R. 1. Ad arma profiliendum non est, ubi legibus injuria propelli potest, quia magistratus est servus Dei, in vindictam ei, qui mala patrat, *Rom. 13: 4.* & propria vindicta prohibetur, *Rom. 12: 19.*

2. Et cum duella tam frequentia sint, vel ex pruritu, vel ex levissima causâ exorta, ideo Rex clementissimus edictum de *duellis* promulgavit, Anno 1682 quod strenuè effectui datur.

Q. V. *An homicidium defensorium, inculpatæ tutela ut vocant, sit approbandum?*

R. 1. Si contingat (1) animo defendendi, non ulciscendi, (2) absunt omnia alia defendendi media, (3) fit in ipso defensionis actu, excusatur tale homicidium apud magistratum politicum.

2. Sin secus, non item.

Q. VI.

Q. VI. An milites in statu Deo grato vivant?

Resp. Aff. quia 1. Milites ad Johannem Baptistam venientes, erudiuntur & confirmantur in officio, *Luc. 3: 14.*

2. Abraham, Moses, Josua, David, &c. bellica munera obierunt.

Q. VII. An morte plectendus sit, qui percutit aut maledicit parenti?

Resp. Aff. Quia 1. Expressam legem habemus, *Exod. 21: 15. 17.* quam Christus repetiit, *Matth. 15: 4.* 2. Peccata contra naturam aut legem naturæ, sunt gravissima; æquum igitur est, ut gravissima pœna contra illos decernatur, qui hujusmodi peccata non metuunt patrare, 3. Multa peccata in istis involvuntur, (1) Summum officium charitatis in suo primario objecto graviter violatur, (2) summæ ingratitude criminis incurritur, omni Reverentiæ palàm renunciatur, præter (4) quod imago DEI turpiter violatur.

Q. VIII. An obvius inimicus salutandus sit?

Resp. Aff. 1. Magna nobis esse debet regula Christi, de diligendis inimicis nostris, & de benefactis etiam erga eum, qui odit nos, *Matth. 5: 44. seqq.*

2. Quod autem dicitur, *Matth. 5: 43. odio habebis*

habebis inimicum tuum, id non dictum est a Prophetis, vel aliis sanctis, sed dictum est antiquis, (vel ab antiquis) h. e. Phariseis & illorum antecessoribus.

Q. IX. *An ira, odium, lis & discordia, sit grande peccatum?*

Resp. Aff. Quia 1. originem ducit a Diabolo, *Jac. 3:13. seqq. 1. Job. 3:10. 11.* 2. privat hominem remissione peccatorum, *Syr. 28:3. 4. 5.* 3. Contristat Spiritum Sanctum, *Eph. 4:30-32.* 4. Pacis & amoris studium summè nobis commendatur, tanquam signum Christianismi, *2. Cor. 13:11. Ephes. 4:4. 5.*

Q. X. *Quæ ergo remedia esse possunt contra iram?*

Resp. 1. Remedia iræ, respectu nostri, sunt (1) Ardens precatio, (2) Christi patientissimi recordatio: ille tulit opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa &c. Nos uno verbo fatigamur. (3) mora inter iram & executionem, (*ira brevis furor est.*) (4) Vini fortioris evitatio; ita enim homines facilè inflammantur, (5) Dissimulatio, aurium oculorumque oclusio, (6) Ultionis in Deum translatio, *Rom. 12:19.*

2. Remed-

2. Remedia iræ, respectu aliorum, cum quibus conversamur, sunt, (1) oratio suaviss; *frangitur ira gravis si sit responsio suavis, Prov. 15. 1.* (2) Saul mitescebat oratione Davidis, *1. Sam. 24: 17. seqq.* (3) sunt quidem nonnulli tam perversi, ut mansuetudo eos reddat ferocios, *leg. 1. Sam. 25: 15. seqq.*

Q. XI. An cades occultè perpetrata investigari possit, si homicidii suspectus, manum mortuo imponat, & sanguis destillet?

R. 1. Ista exploratio valdè incerta est. Si aliquando contingat, homicidam hoc modo innotescere, id extraordinariæ providentiæ divinæ adscribendum est.

2. Experimentis liquet, cadavera aliquoties non emisisse sanguinem interfectore præsentem, & sæpius viceversa stillasse, dilectissimo minimeque reo adstante.

Q. XII. An carnifices, quia de sceleratis supplicia sumunt, sint infames?

R. 1. Olim in populo Dei nullus usus fuit carnificum, sed vel totus populus pœnas de fontibus sumsit, vel iudices, vel Reges, vel servis & famulis suis, prout quisque obvius & ad manus fuit, hoc negotii dederunt, quod patet ex *Levit. 24: 16, 23. Deut 13: 9, 10.*

Jud. 8:

Jud. 8: 1. 1. Sam. 15. v. 33. 2. Sam. 1. v. 15. &c.
atque sic honestū & gloriosum fuit officium.

2. Quod autem jam lictores & carnifices infames habeantur, inde factum est, quòd ad hoc officium, homines sceleratū sunt delecti, qui plerumque etiam sceleratè vivunt.

3. Licet prius inculpatè vixerint, & postquam huic officio præficiantur, inculpatam duxerint vitam, tamen ex opinione vulgi habentur infames.

Q. XIII. Quid de illis statuendum, qui carnificem, si istu aberrer, lapidibus obruunt?

Resp. 1. Rebello hæc est, & seditio adversus Magistratum, & iudicium ipsum, cui potestas gladii competit.

2. Posito, Carnificem esse pœna dignum, quis tamen plebi potestatem vindicandi dedit? Magistratus est vindicare, etiam plebis violentiam.

Q. XIV. An Nauclerus Christianus à Turcis Piratis coangustatus, navim se & socios potius incendere, quam se Turcica servitutè dedere debeat?

Resp. Neg. (1) DEi est mandatum, non occides, nec te nec alios. (2) vita est donum

DEI

DEI pretiosissimum, furor itaque est, vitam sibi eripere ob ærumnas temporales, 3) Nemo vitam a se ipso habet, sed quasi feudum a DEO possidet; sacrilegium ergo committit, qui sibi lucis hujus usuram adimit, & quod suum non est, aufert. (4) *tales animas DEUS non recipit, qui eo nolente è corporibus exierunt*, inquit Hieronymus. (5) Est species quædam incredulitatis, quasi DEUS in hac calamitate opem ferre nec possit nec velit; æquo enim animo ferenda quævis infortunia.

In bello verò vivitur legibus ab Archithalasso præscriptis.

Q. XV. An Christianus captivus, salvâ conscientia, potius se vitâ privari patiatur, quam mandato sui Domini Turcici piraticam exercere, & alios Christianos trucidare?

Resp. 1. Si Christiani illi contra quos mittitur, sint piratæ & pacis turbatores, & commercia impediunt, omnino licet, etiam captivo Christiano, contra illos militare, quippe qui non tanquam Christiani sed quasi prædones se gerunt.

2. Sin verò Captivus alios, qui negotiationis causa navigant, & quos ille certò scit esse Christianos, invadere cogatur, mortem potius

potius eligat quam crudelitatem in innocentes Christianos exercere; quia (1) DEO magis obediendum quam hominibus, *Act.* 4: 19. (2) Exemplo piorum satellitum Saulis, recusantium occidere innocentes Sacerdotes in Nobe, *1. Sam.* 22: 17.

Q. XIV. Num quis, bonâ cum Conscientiâ, vitæ periculo se exponere potest, ut servet vitam amici?

Resp. 1. Christus ostendens ardentissimum suum amorem, mortuus est pro ovibus suis, *Job.* 10: 15.

2. Nos autem non habemus mandatum, ut moriamur pro alterius salute. *leg. Deut.* 24: 16. *Ezech.* 18: 20.

3. Quod autem *1. Job.* 3: 16, legitur, id de promptitudine inserviendi proximo, etiam cum periculo intelligendum est.

4. Interim in tribus casibus, licitum est pro alio in vitæ periculum se exponere;

(1) Pro *personâ publicâ*, in cujus salute rei-publicæ salus sita est. Prout pium ac heroicum Exemplum habemus in Generoso quondam Heroe Dn. HENRICO WREDE, qui Anno 1605, Regem gloriosiss. memoriæ CAROLUM NONUM, in prælio Keræholmensi in livoniâ, è manu hostium cum vitæ propriæ dispendio liberavit, Namque ubi

in eodem prælio, REX ab hostibus Polonis undique cinctus, amisso sclopeti ictu equo, in præsentissimum vitæ periculum incidisset, ibi idem HENRICUS WREDE properè accurrens suo equo defiliit, eique imposuit periclitantem de vita REGEM, ut se fuga eriperet, ipse mox hostium acinacibus, eodem in loco frustatim comminutus est. Ob quod Fidelitatis & Amoris documentum erga Regem, ejusdem HENRICI WREDES Posteritas, inter alia avitæ & propriæ virtutis Præmia etiam BARONATUS - à sereniss. Reg. CHRISTINA, & COMITATUS Titulo & Feudo, à REGE POTENTISSIMO CAROLO XI. Rege nostro Clementissimo donata est,

(2) Cum quis pro salute totius populi vitam exponit, ut *David* in pugnâ cum Goliatho, 1, *Sam.* 17:39. *seqq.* nam bonum publicum anteferendum privato.

(3) Cum quis vitam *temporalem* exponit pro vita alicujus *Spirituali*; ut Ecclesiæ Minister, qui tempore pestis præsto est infectis, eos consolando, & sacrum animæ pabulum eis exhibendo; item, quando cum periculo persecutionis suos informat, ne animæ pabulo destituantur.

Q. XVII. An ἀντοχευία sit licita?

Resp. Neg. Quia (1) ἀντόχευς infert vim naturæ, quæ sui vult conservationem; ne-

mo odit carnem suam, Eph. 5: 29. (2) infert vim juri divino, peccat enim contra 5. Præceptum; sicut enim non licet occidere proximum, multò minus seipsum: *Charitas ordinaria incipit à seipsa* (3) peccat in magistratum, quem orbat membro. (4) peccat in familiam; uxori, liberis, familiæ irrogat ignominiam, & alimenta subtrahit, *Conf. de Evangelio Quest. 6.*

Q. XVIII. *Quæ sit pœna ἀνολοχίας?*

Resp. ἀνολοχίαν, per quam intelligimus voluntariam atque integra mente sui ipsius necem, aut ex desperatione aut tædio vitæ, aut anxietate pœnarum, aut perditione bonorum temporalium, &c. Profectam, in nullo Scripturæ canonicæ libro, vel quod verba vel quoad exempla, esse fundatam probatum est. Ergo ἀνολοχία, non tantum cum pessima conscientia, gravissimo scelere, sed & variarum pœnarum generi sese reddit obnoxium: & quidem.

1. In foro soli, fit infamis, & è domo non per ostium, sed foramen aut foveam sub limine domus effossam, extrahitur.

2. In foro ecclesiastico, honesta sepultura prohibetur, cœmiteriis excluditur & omni solennitate cantionum destituitur.

3. In foro poli, exhereditatur regno cœlorum, 1. *Joh. 3: 15.* ἀνθρώπου κλονῶν & nocentior esse non potest, quàm qui seipsum occidit.

Q. XIX. Si homo pius mania vel phrenesi correptus se occiderit, quid de ejus salute sentiendum?

R. 1. Consideranda est vita ejus ante acta; Si verum fidei christianæ testimonium habeat, certò credendum, quòd nunquam propositum & voluntatem, imò nè cogitationes quidem seipsum occidendi habuerit; itaque quod fecit, præter & contra voluntatem, tanquam mentis impos fecit.

2. Ipse DEUS in Vet. Test. discrimen facit inter homicidia, voluntaria & involuntaria, seu casualia, cum & sine proposito commissa, *Exod. 21: 13. Deut. 19: 15.*

Excipiuntur tum à culpâ ἀποχρησίας tum ab ejus pœnâ (1) ἀνοήτοι mente moti sive furiosi, (2) Melancholici, vita antea acta tamen benè investiganda, quam si benè transegerint, beatitudine non proscribendi; secus si malè. (3) femineces, qui propricidiū quidem affectarunt, sed non statim perfecerunt in ipso actu, vel propriâ pœnititudine ducti, vel ab aliis impediti, ne conatum in
plenum

plenum effectum deducerent; nec hi, si suam temeritatem agnoscant, de admissis doleant, ad misericordiam DEI in Christo promissam confugiant, & pœnitentiæ non fictæ signa edant, præpostere judicandi sunt.

Q. XX. An peccent contra quintum præceptum, qui nimis vigiliis & laboribus sese macerant?

R. Aff. (quamvis rarò dantur, quippe otiosi plures) quia (1) valetudinem lædere est vitam conficere, (2) vicissitudo dierum ac noctium propterea à DEO est, ut nox quietis sit, dies laboris proprium, (3) speciem habet illius sollicitudinis, quam Christus verba. *Matth. 6: 25, 28, 24.*

DE PRÆCEPTO SEXTO.

Q. I. Quid de calibatu tenendum?

R. 1. Cælibatus non est contemnendus, & in eo piè vivere possunt, qui donum continentia habent, *1. Cor. 7: 7. Matth. 19: 11: 12.*

2. Cælibatus non est præferendus conjugio, *Gen. 2: 18. Hebr. 13: 4.*

3. Cælibatus votum non licet vovere, præcipuè sub patriâ potestate constitutis, *Num. 30: 6. Eph. 6: 1.*

Q. II. An ministro U. D. liceat uxorem ducere?

R. Aff. 1. Ex testimoniis quàm plurimis Sacræ Scripturæ, 1. Tim. 3: 2. Tit. 1: 6. 1. Cor. 9: 5. Hebr. 13: 4.

2. Ex exemplis (1) Patriarcharum, Gen. 5: 21. seqq. Abrahæ, Gen. 12: 5. Jsaac, Gen. 24: ult. Jacob, Gen. 29: 23. (2) Prophetarum, Ezech. 24: 16. (3) summorum sacerdotum, Aaronis, Exod. 6: 23. (4) Apostolorum, Petri Matth. 8: 14. Act. 21: 9.

Q. III. An quis illibatâ Conscientiâ in viduitate vivere possit?

R. 1. Quamvis nullo modo DEO sit adversum, viduos & viduas ad secunda transire vota; attamen neque viduitas, si in eâ pie vivatur, ei displicet.

2. Est quidem status viduitatis, hoc seculo præsertim mulierculis, miserabilis, eum tamen DEUS multiplici honore affecit, & severis mandatis, de iis non offendendis, sed paterno amore atque cura prosequendis, munivit, dum se earum judicem nominat, Sc. leg. Exod. 22: 22, 23, 24.

3. Vivant autem vidui & viduæ (1) in perpetua coram DEO humilitate, (2) spem suam in DEO

in DEO viduarum iudice ponant, (3) diligenter templa frequentent, *ut Hanna, Luc. 2: 37.* (4) ardentè orent, *ut Juditha, Judith. 9: 2. seqq.*

Q. IV. Cur adulterium tam atrox sit peccatum?

R. (1) Quia DEUS severè illud prohibuit, *Exod. 20: 14.* (2) Est contra Sacrum DEI ordinem, qui conjugium prævia deliberatione instituit, & inter conjuges tam arctum sanxit fœdus, ut homo relictis parentibus conjugi suæ adhæreat, *Gen, 2: 24,* qui igitur separat quod DEUS arctissimè conjunxit, enormiter peccat, *Matth. 19: 8, 9.* (3) peccatur contra fidem in copulatione promissam, (4) peccatur contra liberos, quibus indelebilis inuritur macula; (5) DEUS hoc delictum gravissimo jussit supplicio punire, *Lev. 20: 10. Deut. 20: 22.* (6) *jam crescentibus delictis, crescant pœnae,* & nullo modo illis connivendum, cum DEUS tam in conniventes, quam in delinquentes graviter animadvertere soleat, *Judic. 20: 1. seqq. Jer. 5: 7. 8. 9.*

Q. V. An Zelotypiæ affectus laudabilis?

Resp. Zelotypia est, cum alter conjugum, alterum de fide conjugali, suspectum habet.

hic affectus est admodum pravus, quia 1. turbat societatem conjugalem, 2. Est contra monitum Syracidis, *Syr. 9:1.* 3. repugnat dicto Pauli, *1. Cor. 13: 4.*

Q. VI. Quid de polygamiâ censendum?

Resp. 1. Polygamia contrariatur primæ conjugii institutioni in Paradiso factæ, *Gen. 2: 24.* ideoque non minus in Vet. Test. quam in Novo peccatum fuit, & Christus optimus interpret, primæ institutionis sensum repetiit, *Matth. 19: 9.*

2. Impio Lamecho, non verò pio Setho, initium hujus peccati adscribitur, *Gen. 4: 19.*

3. Patriarcharum polygamia in Vet. Test. tolerata fuit, tanquam nævus, (cum alias piè vixerint) ortus à Zelo maturandæ nativitatæ Messiæ, *conf. Act. 13: 18.*

Q. VII. Quid de concubinato statuendum?

Resp. Concubinatus nihil aliud est, quam scortatio vel adulterium, quorum utrique DEUS, nisi pœnitentiam egerint violatores, gravissimas & temporales & æternas pœnas est comminatus, *Hebr. 13: 4. repet. Levit. 20: 10. Deut. 22: 22.*

Q. VIII. An Lupanaria sint toleranda?

Resp. Neg. 1. Divinum interdictum, *Deut. 23: 17.*

23:17.18. 2. Læditur hoc ipso publica honestas, insaniâ perditur juvenus, evanescit disciplina publica, 3. irritantur hâc turpitudine gentes, quæ mirabantur Christianorum castitatem, *leg. 1. Pet. 4:1-5.* 4. obscænos hosce gravis manet pœna, *repet. Judic. 20:1. seqq.*

Q. IX. An quis ob cognatorum paupertatem teneatur abstinere à matrimonio?

Resp. Anima corpore præstantior est, hic anima ibi corpus periclitatur; potior ratio habenda est animæ si quid facultatum superest, ut necessitati cognatorum succurrere possit, juvet eos; sin minus, DEO ipsos commendet, suamque lucretur animam, nè hoc in casu Dominum DEUM suum tentare aufit.

Q. X. An nuditas corporis pariat dedecus?

Resp. Aff. Quia 1. Protoplasti, postquam a præcepto Domini deflexere, & nudos se advertère, illicò puduit ipsos, & perizomata conquiritere, ut tegerent τὴν ἀνισχύνην nuditatis suæ, *Gen. 3:7.* 2. Deus ipse tunicas eis fecit pelliceas, & induit eos, *Gen. 3:21.* 3. Idem monet Apostolus, *1. Cor. 12:23.24.* 4. Ipse Christus a corporalis nuditatis dede-

core, similitudinem capit, ad improbandam spirituales nuditatem, *Apoc. 3:17. 18.*

Q. XI. An cantica & scripta Erotica seu venerea sint toleranda?

Resp. Neg. 1. Sunt enim contra sacras literas *Eph. 5: 4. Col. 4: 6.* 2. per illa datur occasio ad impudica facta, *Syr. 9:3-11.* 3. reddenda est ratio otiosorum verborum, in die panto-critico; cur non impurorum canticorum? *Matth. 12: 26.* 4. Devota est precatio Davidis, *Psal. 51: 17. Domine labia mea aperies, ut os meum annunciet laudem tuam!*

Q. XII. An & quatenus homini Christiano joculari liceat?

Resp. 1. Jocos honestos, hilares & jucundos, non improbat Sacra Scriptura, quin vult ut sermo noster sit sale conditus, *Col. 4: 6. Phil. 4: 8.*

2. In jocos autem, non debemus abuti dictis Sacrae Scripturae, *Gal. 6: 7. 8. conf. Matth. 12: 36.*

Q. XIII. An irrisiones, sales & ironia, aliquando sint licita?

Resp. Subsannationes & venustae irrisiones possunt esse usui piis hominibus, quia illis non utuntur ad ultionem & odium explendum

dum adversus inimicos sed ad erudiendum. Sic subsannavit *Elias* Baalitas, 1. Reg. 18: 27. Sic *Esfaj.* 44: 14-17. festivè irridetur faber idoli, quod ex dimidio arboris, ignem pareret, unde sese calefaciat, afflet carnes, ex reliquo vero trunco elaboret simulacrum, ad quod postea se prosternit, illud colit, veneratur & adorat; Sic *Baruch* idola lepidissimè irridet, Cap. 5: 11-22.

Q. XIV. An cum uxore tempore menstrui consuescendum?

R. Neg. quia 1. multis locis in Scripturâ Sacrà prohibetur, *Lev.* 20: 18. *Ezech.* 18: 6. & 22: 10. 2. monstrosa & leprosa proles sæpè ex turpi illâ libidine gignitur.

Q. XV. De ebrietate & luxuriâ.
vid. præcept. I. Sect. II. Quest. VII.

Q. XVI. An convivia Christianis sint permissa?

R. Aff. quia 1. conceduntur ad piam delectationem & hilaritatem. (1) Sic *Joseph* lauto convivio excepit fratres, *Gen.* 43: 33, 34. (2) paravit epulum *Mattheus*, cui interfuit Christus, *Luc.* 5: 29. (3) regulas convivii præscripsit Christus, *Luc.* 14: 11. (4) interfuit nuptiis, *Job.* 2. v. 2.

2. Abesse tamen debet à convivio christiano

stiano luxus, crapula & helluatio; absint scurriles sermones, cantiones ad libidinem incitantes, (*Quest. XI.*) leg. *Esaj. 5: 11, 12, 13.*

3. *Iusti verò epulentur & exultent in conspectu DEI, & delectentur in latitiâ, Psal. 8: 4, 5.*

2. XVII. DE Jejuniis,
vid. *Artic. II. de Deo, Sect. IV. Quest. I. VIII.*

2. XVIII. De luxu vestium?

vid. *præcept I. Sect. II. Quest. VIII, & IX.*

DE PRÆCEPTO SEPTIMO.

2. I. *Quid christianum commovere possit, ut sit suâ sorte contentus & fugiat avaritiam?*

R. 1. *Questus magnus est pietas, cum animo suâ sorte contento, 1. Tim. 6: 6. leg. Prov. 13: 7.*

2. *Hebr. 13: 5. sint mores sine avaritiâ, contenti presentibus; ipse enim dixit: non te deseram, &c.*

3. *Vita nostra succiditur & avolamus, Psal. 90: 11. Syr. 18: 7, 8. tempus vitæ nostræ est solum peregrinatio ad æternum hospitium, ergo non tam de peregrinatione, quam de hospitio sumus solliciti.*

4. In morte omnia deserenda, *1. Tim. 6: 7. Job. I: 21. & 22: 7. seqq.*

5. Frustraneum est inhiare divitiis, DEO non dante, *Exod. 16: 18. 2. Cor. 8: 15.*

6. Avaritia habet universalem influentiam ad omnia peccata, *1. Tim. 6: 10. est enim radix omnium malorum.*

Q. II. Quid absterreat nos ab avaritiâ?
vid. *præcept. primum, Sect. II. Q. V.*

Q. III. An liceat in N. T. divitias possidere?
vid. *præcept. I. Sect. II. Q. VI.*

Q. IV. An prodigalitas sit vitium?

R. Aff. 1. quia est contra Christi mandatum, *Job. 6: 12. colligite fragmenta ne pereant, conf. Exod. 16: 16.*

2. Prodigalitas nunquam est sola, sed aliis vitiis comitata procedit, superbiâ, ambitione, gulâ, ebrietate, luxuriâ, rapinis, quibus partim fovetur, partim exercetur; & tales sunt securi homines, *Sap. 6: 6-16, Luc. 12: 19.*

Q. V. An prodigus sit avaro deterior?

R. I. Certo respectu est avaro deterior, quatenus turpissimè abutitur donis DEi, ad luxum, ingluviem, lasciviam, defraudat eos, quos ad mandatum DEi honeste educare & nutrire

nutrire deberet; vitam agit Epicuream, nec DEum timens, nec homines reformidans, multosque secum rapit in perniciem, *repet. Sap. 6: 6-16. & Luc. 16: 26. 27.*

2. Verum prodigalitas in se considerata, ab omnibus aliis vitiis sejuncta, tolerabilior est avaritiâ, (1) quia ad medium (liberalitatem) facilius reduci potest, vel egestate, vel bona informatione, quam avarus vix unquâ admittit, (2) prodigus inconsideratè profundit opes, quod insipientis est, non malitiosi; avarus verò per fas & nefas corradendo pecunias, malitiosissimè peccat: atque sic prodigus sibi ipsi tantum nocet, avarus autem sibi & multis aliis.

Q. VI. *An Christianus possit pro alio fidejuben-
juben?*

R. 1. Negari non potest, fidejussionem in Sacrà Scriptura probari, & ut officium charitatis commendari, *Syr. 29: 18. vir bonus fidem facit proximo suo, & Paulus fidejussit pro Onesimo, Philem. v. 18. 19.*

2. Habet autem hæc fidejussio suas limitationes; (1) Non enim pro omnibus fidejuben-
juben- dum, pro prodigis, lurconibus & aliis hujus farinae hominibus, (2) nec supra vi-
res,

res, quod sæpe fit ob exiguum lucrum, *Syr.*
8: 15.

3. Nec desunt rationes dissuadentes fidejussionem, (1) clara Scripturæ dicta, *Prov.* 6: 1, 2. & 20: 16. & 27: 13. (2) fidejussorem sibi ipsi nimium fidere, quòd semper futurus sit solvendo, quod tamen in manibus Domini est, (3) urgendo periculum, *sponde, præsto noxa est, add. prov.* 11: 15. (4) fidejussione multi, pro quibus fidejubetur, fiunt vel desides, vel animosiores, vel imprudentiores.

4. Ergo *fide, sed cui vide*; Si ergo certus non es de sinceritate ejus pro quo fidem tuam interponis, præstat ei mutuo vel gratuitò pro viribus dare.

Q. VII. *Quid de mandato DEI, Exod. 3: 22, de spoliandis Ægyptiis, sub prætextu mutuati-
onis, tenendum?*

R. 1. Hoc mandatum non confirmat eorum impietatem, qui mutuò sumunt, & nihil reddunt *Psal.* 37: 21. Sed est 2. personale mandatum, speciali de causa Israëlitis injunctum, quos Ægyptii per annos fere cētum, durissima servitute oppresserant, & veluti mancipia, debita laborum mercede defra-

fraudaverant, 3. Ne ergo omninò vacui exirent, transfert DEus, tanquam legitimus omnium thesaurorum Dominus, quod suum est, ad Israëlitas, hostium nempe bona, rapinis & fraudibus parta; quia *malè quæsitâ, malè dilabuntur, Esaj. 33: 1. 4.* Israëlitæ itaque non commiserunt furtum, sed DEO præstituerunt obedientiam: quod ad exemplum trahi non debet, sine speciali DEi mandato.

Q. VIII. *Quid cum bonis malè quæsitis agendum, in quos usus ea impendenda sint, nè Conscientia ledatur?*

R. 1. Qui male parta secum retinet, veram non agit pœnitentiam, quia peccatis suis adhuc blanditur, 2, Nec reconciliatur DEus, si pars eorum solum conferatur in usum pauperum, & alios pios usus, *Syr. 34: 25, 26. Prov. 21: 17.* 3. ergo restituat ei, cui abstulit, vel ejus hæredibus, *Ezech. 33: 15.* ad exemplum *Zachai Luc. 19: 8.* & remissionem quærat in solo sanguine Christi, detque Eleemosynam in signum pœnitentiæ. 4. Si nimis ignominiosa videatur restitutio in propria persona, mittat pecuniam per V. D. ministrum suppresso nomine.

Q. IX. *An christianus bonâ Conscientiâ possit exercere mercaturam.*

R. 1. Sunt qui cum Anabaptistis id negent, quibus suffragatur illud, *Syr. 26: 28. Negotiator difficulter potest sibi cavere à peccatis.*

2. Sed distingvendum est inter *negotian-di officium, & negotiatoris vitium*, inter *usum & abusum*, inter *mercaturam & imposturam.*

3. Mercaturâ non possumus carere, quia *non omnis fert omnia tellus.* Christus parabolâ desumit à mercatoribus, & regnum cœlorum confert cum mercaturâ *Matth. 13: 45. & 25: 14-24.* sic mercaturam exercuit *Joseph, Gen. 47: 14. conf. Jer. 32: 9. Act. 16: 14. &c.*

Q. X. *An per navigationes victum quærere liceat?*

R. Aff. 1. DEUS ipse navigationis inventor est, *Gen. 6: 14, seqq.* 2. Navigatio egregiis extollitur verbis, *Psal. 107: 23. seqq.* 3. valdè utilis est, *Sap. 14: 1, 2. seqq.*

Q. XI. *An contractus dolo malo initus rescindendus sit?*

R. Aff. Contractus multis modis dolo malo iniri potest, & si non adeo cautæ sint conditiones & circumstantiæ, rescindendus est;

est: tenemur enim lege charitatis, etiam providere bono proximi, & monet Spiritus DEI, nè quis opprimat & fraudet in negotio fratrem suum, *Ec. 1. Theff.. 4: 6.*

Q. XII. Quid de usuris sentiendum?

R. Disting' 1. Inter objecta, sunt autem vel *mendici*, quibus Eleemosyna debetur; vel *egeni*, quibus sine usuris subveniendum; vel mediocri sortis & ditiores, qui nostro ære norunt suis velificari commodis, quibus æquitas christiana dicitur, cum ipsis profuerimus, ut nobis ex nostro profint, *leg. 2. Cor. 8: 13.*

2. Usura, alia *lucratoria sive mordens*, cum ultra æquum & licitum exigitur, alia *compensatoria*, quæ compensat debitum; illa damnatur, hæc conceditur, tanquam necessarium societatis vinculum.

Q. XIII. An liceat accipere pignora, quæ mutuanti fiant propria, si debitor justo tempore non reddat debitum?

R. Neg. dist. Etsi pignus à mutuatorio accipere licet, sed Not. 1. nè terminum solutionis statuamus mutuatorio nimis angustum, quod multi faciunt lucri gratiâ, ut pignora eò citius ad se rapiant, *Syr. 29: 11. vetat e-*

tat enim Scriptura, proximi pignus rapere, *Exod.* 22: 25. 2. Inter requisita hominis justi ponitur, si pignus debitori redditur, *Ezech.* 18: 7.

Q. XIV. An præda militaris sit licita?

Resp. Aff. I. Legitima censetur (1) in bello justo capta, (2) in expeditionibus, acie & castris hostium, (3) secundum jura militaria & cōsuetudinem.

2. Licita est, ubiqve (1) ut ei, qui alterius res auferre conatur, eripiatur quod illius est proprium, quia *vires virepellere licet*. (2) idque omnes leges, omnia jura permittunt, (3) DEUS ipse populo Israëlitico mandat, *Jos.* 22: 8. *conf.* *Ezech.* 29: 19. (4) prædam reportavit Abraham, *Gen.* 14: 19, 20. *Josaphat*, 2. *Paral.* 20: 25. *conf.* *Num.* 31: 22, 23. (5) Præda hostium benedictio Domini dicitur, 1. *Sam.* 30: 26.

3. Illegitima præda non permittitur, qualis (1) est, quæ non in justo bello capitur, (2) quæ non in regione hostili, sed aliâ, cum qua nulla est hostilitas, rapitur. (3) quæ contra leges & jura militaria fit, per torturas, populationes, incendia, &c. (4) ab oppidis & provinciis tributariis exigitur; nam pro-

pter solutionem tributorum non deprædari aut spoliari sed defendi debent, cum fidei nostræ sese submiserint ac tutelæ.

4. Pro *excessibus* etiam militaribus habentur, regionum vicinarum vastatio, templorum destructio, &c. *Deut. 20: 19.*

5. Præscindenda erit omnis causa *calumniandi nostram religionem*, quasi non regni salutem & publicam tranquillitatem, sed turbas, non religionem, sed regionem curaret.

Q. XV. *An quis à militibus, proximo per injuriam ablata bona, vili pretio sibi coëmere possit?*

Resp. Qui proximi bona furto ablata, animo restituendi emunt, charitati Christianæ conforme agunt, qui verò animo lucrandi & retinendi emunt, peccant, (1) contra *præcepta DEI & juris Naturæ; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, Matth. 7: 12:* (2) contra *proximum, Exod. 23: 4.* (3) contra *semetipsos*, quia perdunt bonam conscientiam, bonam famam & benedictionem, *Mich. 6: 4.* (4) *Scandalum* præbent proximo, ad simile quid laceffito, *Matth. 18: 7.*

Q. XVI. *An lusus aleæ & chartarum sit licitus?*

Resp.

R. Lusus aleæ & chartarum si fieret *animi gratiâ*, sine jacturâ temporis, posset tolerari; sed cum plerumque fiat *lucricausâ*, cum dispendio temporis, & occasione multorum malorum, verè peccatum est.

Namque 1. præcepto septimo prohibentur omnes dolosæ actiones, & labores in sacra Scriptura mandantur, *Eph. 4: 28.* 2. Ludos hosce sequuntur varia scelera, blasphemix, maledictiones, violationes sabbathi, (dum plerumque diebus dominicis luditur,) lites, jurgia, homicidia; item compotationes &c. 3. cum facultatibus bona fama perditur: Cic. *Vir pessimus ferè aleator optimus.*

Q. XVII. *An otium sit peccatum contra conscientiam?*

Resp. Aff. 1. Est contra præcept. 7. *non furtum* facies, dum publicum commodum intercipiunt, & operam suam subtrahunt; *neque enim nobis tantum nati sumus, sed partem sibi vendicat patria, partem parentes & amici*, Cic. qui ergo socordia vitam transigunt, patriam, parentes, & amicos, officio, quod illis præstare tenentur, privant.

2. Otiosi contemnunt & invertunt ordinem Dei, qui labores protoplastis injunxit, *Gen. 3: 19, 2. Thess. 3: 11, 12.* O3 3. Abu-

3. Abutuntur donis DEI, intellectu, sanitate, *non resuscitantes donum DEI, quod est in se. 2. Tim. 1: 6.*

4. Otium multorum scelerum est mater: *Homines nihil agendo, malè agere discunt. Otium est pulvinar Diaboli.*

5. Otiosi in perniciem multos secum trahunt.

6. Inopiam & morbos sibi accelerant, *Prov. 6: 6-11.* & cum servo inutili ejicientur in tenebras exteriores, *Matth. 25: 30.*

Q. XVIII. *An quis extra certam occupationem, sine peccato vivere possit?*

Resp. Neg. Si tantum virium & donorum a DEO sibi concessorum habeat, ut in honesta aliqua functione, laudabiliter versari possit, *leg. 1. Pet. 4: 10.* Quia 1. Hæc est ordinatio DEI, ut unusquisque in speciali aliqua functione, aliis inserviando, DEUM glorificet, *Gal. 5: 13. 1. Thess. 4: 11.*

2. In eum finem quisque a DEO suum talentum accepit, ut non defodiatur, *Matth. 25: 25.*

3. Iners otium fugiendum, tanquam mater & nutricula multorum vitiorum, præcipuè malarum cogitationum, cupiditatum, &c. *2. Thess. 3: 11.*

4. Glo-

4. Gloria Dei, utilitas publica & privata, nec non conscientiae lætitia, ex honestâ functione, quæri possunt ac debent. 2. Cor. 1: 12.

Q. XIX. *An fures suspendere justum sit?*

R. Aff. leges quæ fures suspendio puniunt, justitiâ & æquitate nituntur; quia (1) crescentibus delictis exasperandæ sunt pœnæ, (2) In politiâ judaicâ etiam furti pœna fuit aucta, *Prov. 6: 31. fur. deprehensus reddit septuplum. David quadruplo punit rapinã ovicula, & in super raptorem morte mulctat, 2. Sam. 12: 5, 6.* (3) Nec juvat illos, quòd à fure non vereamur periculum vitæ: Sed nec adulter vim vitæ facit, tamen capitali supplicio meritissimè afficitur.

Q. XX. *An sit grande peccatum, fraudare operarios mercede?*

Resp. Aff. quia (1) est inter peccata clamantia, *Jac. 5: 4.* (2) Est contra rectam rationem, vel pugnat cum justitia, quòd proximo non tribuat, quod ei debetur. (3) B. Ambrosius, & omnes pii, abominantur hoc peccatum, (4) & operarii, quoties defraudator ipsis in memoriam venit, suspiria ducunt, quæ suspiria vindictam divinam implorant.

Q. XXI Quare quinque boves restituendi fuerunt pro uno, & quatuor tantum oves?

R. (1) Majoris est audaciæ & improbitatis bovem furari, quàm ovem, (2) est minoris necessitatis species, in bove furando, quàm in ove, quam quis ex inopia cibi quarrit, in presenti necessitate, (3) numerant quatuor utilitates ovis, scil. lactis, carnis, pellicis & foetus, in bove autem accedit quinta, laboris nempe in agricultura, trituratione & onerum ventione.

Q. XXII. Cur minor statuta est poena in eum, qui pecuniam aut suppellectilem abstulisset, quàm in eum, qui bovem aut ovem furtivabat?

R. 1. Boves & oves, ex sua natura magis necessaria sunt ad vitam humanam sustentandam, quàm pecunia, & suppellex, (2) Boves & oves fuerunt præcipua Sacrificia DEO offerenda, non mirum igitur, si eorum direptionem DEUS voluerit severius vindicare.

DE PRÆCEPTO OCTAVO.

Q. 1. An christiano litigare liceat in judicio?

R. 1. Judicia & magistratus instituit DEUS, & in Vet. & in Novo Testam. leg. Act. 25: 10, Rom, 16: 23.

2. Vid.

2. Videndum unicuique autem, (1. nè diffidat DEO, & iudicibus confidat, (2) ut charitatem servet inviolatam & adversarium, contra quem lis instituitur, hostis loco non habeat. (3) Nè affectibus indulgeat; satius est rem amittere, quàm spiritus mansuetudinis jacturam facere. (4) ut omnia priùs tentet, quàm in iudicium descendat, & si possit, per arbitros & communes amicos res componatur. (5) Ut adversarium hortetur, ut a iudicio desistat, nè charitatem violet, & impensis uterque prematur.

Q. II. Quid circa actiones & processus observandum, ne quis peccet?

Rass. Præter ea, quæ *Qvæst.* præcedenti dicta sunt, *Not.* (1) Ob res levissimas actio non instituenda est; raro enim sine exacerbatione, odio, invidiâ, lites procedunt, *Rom. 12: 18. Hebr. 12: 14.* (2) quod si omnino litigandum, fiat sine irâ & odio, *Lev. 19: 17. Matth. 5: 44.* (3) Veritas in iudicio dicenda, nec aliter, ac in se est causa proponatur, *Zach. 8: 16. Eph. 4: 25.* (4) Non facilè ad appellationis beneficium fugiendum, nisi extrema urgeat necessitas; *honor est homini, qui separat se à contentionibus, Prov. 20: 3. beati pacifici, Matth. 5: 9.*

Q. III. Quae causae nos à litigiis frivolis abstertere debeant?

Resp. (1) Mandatum Dei, *Prov. 3:30. ne contendas contra alium frustra, cum ipse nihil mali tibi fecerit. & 17:19. peccatum diligit, qui diligit rixas.* (2) *Beati mites, quia possidebunt terram, Matth. 5:5. David per patientiam acquisivit regnum, Rehabeam per rigorem amisit,* (3) *Scandalizantur & tristantur pii, Matth. 18:31.* (4) *Fama litigantis læditur, Prov. 6:14. Vir iniquus seminat jurgia.* (5) *facultates minuuntur, litigiis frivolis, & frivole litigantibus contingit, idem quod cani Aesopico contigit.* (6) *avocantur à precibus & pietate; verum beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, Matth. 5:9.* (7) *temerè litigantes triplex poena manet; Juramentum calumniae, poena pecuniaria, infamia.*

Q. IV. Quale fuerit consilium Jethronis, Exod. 18: 18-21.

Resp. Juxta consilium Jethronis ad iudicandi munus eligendi sunt, 1. *Viri timentes Deum, quia timor Domini est initium omnis sapientiae, Psal. 111: 10. & non hominis, sed Dei exercetur iudicium,* 2. *Chron. 19: 6.*

2. *Sapientes, qui boni & æqui notitiam habent.* 3. *Stre-*

3. *Strenui*, non effœminati, qui in judicando, neq; excandescant adversus malos, neq; precibus calamitosorum illacrymentur.

4. Tales, *in quibus est veritas*; judex enim pro indagandâ veritate omnia rimari debet, & rei qualitatem plena inquisitione discutere, *Eph. 4: 25.*

5. *Qui oderint avaritiam, quia ea est nociva justitiæ & nutrix Gebennæ*, inquit Augustinus, & *Deut. 16: 19. munera excæcant sapientes, & subvertunt verba justorum, Conf. 1. Sam. 12: 2-5.*

Q. V. Quanam vitia judicibus maximè vitanda?

R. Præter ea, quæ in quæstione præcedenti allata sunt, cavenda maximè est, 1. *πεσωποληψία*, quæ expressè damnantur in S. Scriptura, *Deut. 16: 19.*

2. Cavendi sunt *affectus* immoderati, (1) *ira*, quæ mentis judicium corrumpit, & plerumque comites habet perniciosos, crudelitatem, furorem, & sævitiam, (2) *metus*, qui animum judicis turbat, judicioque spoliât, (3) *miseriçordia* sit judici commendata, moderata tamen; Nam, ut ait Chrysoſt. *justitia sine misericordiâ non est justitia, sed crude-*

crudelitas; & rursus, misericordia sine justitia, non est misericordia, sed fatuitas.

3. Ante omnia cavenda est *avaritia*, (vid. quæst. IV.) *leg. Exod. 23: 9. Job. 13: 19. Syr. 20: 31. Jac. 2: 9.*

Q. VI. *An mendacium sit grave peccatum?*

R. Aff. quia (1) est DEO abominabile, *Prov. 6: 17, 19. & 12: 22.* & ab ipso graviter puniri solet, *Apoc. 21: 26. & 22: 15.* (2) provenit ab instinctu Diaboli, *Job. 8: 44.* (3) Est pars veteris hominis, ab omnibus piis mortificandi & exeundi, *Col. 3: 9.* (4) mentientis oratio, quæ mentis est interpret, a mente dissentit, *Eph. 4: 25.* (5) Singularem modo lædit majestatem divinam, quæ veritatis est amator & auctor, & imaginem suæ veracitatis homini impressit conservandam. (6) Abusus & dehonestatio linguæ, quæ in S. Scriptura dicitur gloria humana, *Psal. 30: 13.* (7) Homines quamvis assidue mentiantur, mendacii exprobrationem egerimè fuerunt, (8) directe facit ad omnes contractus & societates humanas turbandas & tollendas. (9) spoliat mendacem omni autoritate & fide, inhabilem & ineptum reddit ad omnia officia.

Q. VII. *An mendacium interdum sit licitum?*

R. Mendacium vulgò est triplex: *Perniciosum, jocosum officiosum*; finis perniciosi est lædere: jocosum, delectare: officiosi prodesse. *perniciosum*, quia proximo damnum infert, ab omnibus pro peccato grandi habetur. *jocosum* pro mendacio ferme non habetur, quia falsitas audientem diu non latet, imò ad urbanitatis officium plerumque spectat. *Officiosum*, quo vel nobis, vel proximo prodesse studemus, proprie non est mendacium, sed vel stratagema, vel prudentia, qua pii homines callide aliquid reticere. Sic *Rachel*, Gen. 31:35. & *nutrices Ægyptiaca*, Exod. 1: 29. &c. Exercitium itaque Taciturnitatis est, non veracitati contrarium vitium.

Q. VIII. *An & quatenus quis possit celare veritatem absque mendacii reatu?*

Resp. Tacendo licet celare veritatem, quando neque pietas, neque justitia, neque charitas postulat, ut manifestetur. Sic *Christus*, Marc. 14: 61. & 15: 5. Præceptum enim affirmativum de veritate dicenda non obligat semper, sed prout exigit ratio circumstantiarum, bene expensarum.

Q. IX. *An omnis delatio sit in vitio?*

Resp.

Resp. Neg. Est quædam *honestæ delatio*, cum causa honesta, finis honestus, & media honesta sunt, quando nocentes & mali deferuntur, ut Magistratui innotescant, qui salutem publicam turbant, vel quando deferuntur periculi alicujus evitandi gratia. Sic *Josepb* ad Patrem detulit fratrum infamiam, *Gen. 37: 2.* *Pauli nepos* ex sorore, conjurationem Judæorum, *Act. 23: 16.*

Q. X. An ille verè detractor sit, qui peccatum verum revelat, sed occultum?

Resp. Si ad peccatoris emendationem ordine fiat, vel ad aliorum periculum grave præcavendum, vel ex pari aliqua justa causa, non est peccatum: quia hac ratione minus bonum negligitur, ut majus promoveatur, & malum serpens aliquo modo reprimatur.

Q. XI. An publica crimina, uti furta, blasphemias, computationes, magistratui id clam exigenti, deferre liceat?

Resp. Aff. ad Magistratus mandatum licet delicta deferre, nè maneant impunita; qui ergo Magistratus jussu delinquentes defert, ut debita luant supplicia, est patriæ salvator, quia talia delicta impunita famem, bellum, pestem

pestem, &c. Secum trahunt, qui autem talia delicta celat, vel nocenti parcat, iram & vindictam divinam in se transfert, *leg. 1. Sam. 15: 19.*

Q. XII. *An omnis simulatio sit prohibita?*

Resp. 1. Cum quis fingit se probum, cum non sit; simulat se esse alicujus amicum, quod non est, talis simulatio est peccatum,

2. Non verò est peccatum, si occultentur consilia publico profutura; sic Christus in carne suam naturam divinam occultavit, pro salute hominum; si enim Dominus gloriæ esset agnitus, *cruci non esset affixus, Act. 3: 17. 1 Cor. 2: 8.* sic ostendit Christus, coram duobus Discipulis, se longius iturum, ut ab eis invitaretur & se manifestaret, *Luc. 24: 28.*

3. Sed hæc simulatio Taciturnitatis non habet locum in judiciis ubi ad testandum verum adstringimur.

Q. XIII. *An nonnunquam dissimulandum?*

Resp. 1. Dissimulatio eorum, quæ dictu necessaria non sunt, & ad promovendam iracundiam aut ferendas lites spectant, non est opus mendacii, sed prudentiæ & charitatis, & hoc in negotiis civilibus, in quibus absque periculo prætextus quæri potest.

2. In casu autem necessariae confessionis, nihil agendum simulatè, nihil dissimulandum; nam æquè pugnat cum fidei integritate, alienam religionem simulatè profiteri, & propriam dissimulare; quorum illud est mentiri DEO & hominibus, hoc tacitè fidem abnegare.

Q. XIV. Quid est adulatio?

Resp. 1. Adulatio dicitur a *δούλος*; Est enim hoc vitium prorsus servile, & qui hoc vitio laborant, non tantum loquendo peccant, sed etiam sæpè tacendo.

2. Est autem adulatio, turpissimum periculosissimumque genus falsi & mendacii; fovet enim adulator vitia illius, cui blandè assentitur, Damnatur hoc vitium in S. Scriptura, *Prov.* 27: 5. 6. & ab omnibus Christianis cavendum, præcipue autem V. D. Ministro, qui vitia populi severe arguere debet, *Ezech.* 13: 20. *seqq.*

Q. XV. An omne iudicium & opinio de proximo sit prohibita?

Resp. 1. *Judicium temerarium*, prohibitum est, quando videlicet non studio emendandi proximum, ejus peccata arguuntur, sed vel ex fastu aliquo, vel odio proximi, vel

ex li-

ex libidine reprehendendi, vel ex præsumptione singularis alicujus sanctimonix, *Luc. 6: 41, 42.*

2. *Temerarium quoque fit judicium*, quando non attenditur, quo fine, quibus circumstantiis, qua intentione fecerit proximus, quod fecit, quæ circumstantiæ vel excusare vel extenuare possunt peccatum: *quia circumstantiæ variant factum.*

3. *Maximè autem temerarium*, imò malitiosum est eorum judicium, qui rectè facta proximi per calumniam vituperant, quod plerumque ab iis fit, qui sibiipsis ejusdem sceleris, quod alteri impingunt, vel similem sunt conscii: *quia alios ex se judicant.* *conf. Jac. 4: 11.*

4. *Judicium autem discretionis* est concessum, non solum ordinario legitimoque magistratui, sed & cuilibet privatæ personæ, in aperto proximi peccato, & ubi peccati signa sunt evidentiâ, sic actu & apertè blasphemus, pro tali habetur, secus violatur octavum præceptum, *leg. Esaj. 5: 20. Prov. 17: 15.*

Q. XVI. *An conveniat exprobrare proximo suas pravariationes?*

R. Neg. Est. hoc (1) contra legem charitatis, quæ tegit delicta proximi, quæ tegi

possunt. (2) veritatem dicere cum animo lædendi, majus est peccatum, quàm dicere mendacium. (3) tales imitantur Diabolum, qui nomen & omen habet calumniatoris. (4) *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, Matth. 7: 12.*

Q. XVII. *An conveniat parentum vitia obijcere liberis?*

R. Neg. quia (1) *Non portabit filius iniquitatem patris, Ezech. 18: 20.* (2) David non objecit Mephibosetho avi Saulis improbitatem. *2. Sam. 9: 6. 7.* (3) Memoriam mortuorum debet esse in pace (4) posteri sunt judicandi secundum illa, quæ ipsimet agunt, & non secundum majores.

Q. XVIII. *Qualis debet esse Christiani sermocinatio?*

R. Consideret, 1. *Quis.* Si junior taceat, ut loquantur seniores, *Job. 32: 7. 8.* hinc in convivio senes debent esse *vocales*, mediæ ætatis homines *consonantes*: juvenes *muti*. Si fœmina, laudi sibi ducat *tacere*, *Syr. 25: 27. 28. & 26: 17.*

2. *Cui* loquatur, *Prov. 23: 1. 2.* Cum inimicis & calumniatoribus cautè loquendum & præmeditatè, nè in periculum veniamus.

3. *Quid?*

3. *Quid?* Nè loquamur arcana & incerta, & ea quæ ad DEI gloriam & proximi commodum non spectant.

4. *Quomodo?* Scil. (1) *præmeditatè*, Prov. 29: 20. *Gell. nunquam tinniat hæc nola, nisi fune trabatur à corde.* (2) *modestè*, nè alium in sermone interturbet, (3) *Urbanè*, Col. 4: 6. (4) *clarè*. Syr. 21: 16.

5. *Quando?* Scil. opportuno tempore, ut consideret circumstantias personarum, rerum, & loci.

Q. XIX. Quæ sint sinceritatis Christianæ qualitates?

R. Integritas animi inde colligitur, si sit oris & cordis consonantia: ne quis aliud in lingvâ promptum, aliud pectore clausum gerat.

Atque hæc sinceritas, (1) sit *in corde*, ut nihil mali de proximo cogitemus, nec suspicemur. (2) *in gestibus*, nè honor sit externus, & technæ struantur internæ, Prov. 6: 12-14. Syr. 19: 22. *seqq.* (3) *in verbis*, ne proximo adulemur, 2. Chron. 26: 18. (4) *in operibus*, ut candide agamus in omni timore DEI, 1. Thess. 4: 6.

Q. XX. Quid sit calumnia?

R. 1. Non omne vituperium calumnia est; aliàs (1) discrimen inter virtutes & vitia, laudem & irrisionem, honorem & dedecus tolleretur, (2) nec calumnia dici potest, quando pastores, juxta exemplum Christi, Prophetarum & Apostolorum, sine affectu modestè, falsas doctrinas reprehendunt, & nominatim scelera taxant, (3) Nec cū magistratus in inobedientes & refractarios acriter invehitur, ex amore justitiæ & Zelo contra malitiam & turbationem quietis publicæ, (4) Nec quando in communi vitâ criminosi, qui eo nomine digni sunt, vocantur scortatores, usurarij, blasphemi, &c.

2. Sed hæc est calumnia (1) quando piis hominibus falsum crimen attribuitur, ut Pharisei Christo, *Luc. II: 15. & 23: 5.* (2) quando minima quæque amplificantur, 1. *Sam. 22: 10, 13.* (3) Quando alicujus dicta & facta in pessimam partem trahuntur, 2. *Sam. 10: 3. 4.* (4) ubi inconsultè dicta passim traducuntur, & per alterius existimationis ruinam, gloria quæritur, *conf. precept. II. Sect. III. quest. I.*

Q. XXI. Cur calumnia tam grande sit peccatum?

R. Quia (1) originem trahit à Satanâ, qui
 διαβο-

Διάβολος seu calumniator dicitur, DEUMQUE & homines calumniatur. (2) recensetur inter ea, quæ DEUS odit & detestatur, *Prov. 6: 16, 18.* (3) & est turpissimum vitium, *Syr: 5: 16. 17.* (4) est causa omnis mali & maledictionis, *Syr. 28: 15. seqq. triste est malè audire pro benefactis, Prov. 18: 8.* (5) DEUS gravissime punit calumniatores, *Psal. 52: 6. & 55: 24.*

Q. XXII. *An vituperia mundi flocci facienda?*

R. 1. Iniqua mundi judicia, quæ ex depravatis affectibus originem habent, ubi optime meriti sæpe culpantur, & omnium indignissimi, laudibus extolluntur, talia judicia flocci facienda sunt: (1) Pauli monito, *Gal. 1: 10. si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem,* (2) suo exemplo idem docet, *1. Cor. 4: 1.*

2. *Vituperium autem justum,* ubi cor nostrum nos convincit, quod eo digni simus, summopere cavendum; ergo. (1) pietate vitæ & honestate morum, debitâque diligentia in officiis vocationis nostræ, præcavendum, nè iniquitates nostræ nos traducant, *Sap. 4: 12.* (2) Christiani est præcavere, nè bona ejus famam lædatur, *Prov. 22: 1. & omnia*

si perdas, famam servare memento, crudelis est, qui negligit famam suam. Conscientiâ bonâ opus est propter DEUM, bonâ famâ propter proximum, August. (3) Ergo propter gloriâ Dei eò annitendum est, ut crimina diluantur, & bona existimatio illæsa custodiatur, Matth. 5:16. conf. 2. Sam. 12:14.

Q. XXIII. *An & quando famam quis defendere possit?*

Resp. (1.) Joco seria prætermittat, ne ex muscâ faciat Elephantum, (2) Non statim irâ effervescat; generosus equus non curat latratus canum. Conscia mens recti fama mendacia ridet. (3) Si sibi conscius sit, perferat, ne idem contingat quod Sauli, 1. Sam. 15:16. seqq. (4) feras non culpes, quod vitare non potes; Exemplo Christi, 1. Pet 2:22.

Q. XXIV. *An ob virtutum Officia, laudem expectare liceat?*

Resp. 1. Cura boni nominis nobis commendatur in S. Scripturâ, & Christus vult videri opera nostra coram hominibus, Matth. 5:16. non ergo honesta gloriæ appetitio prohibita erit, ea enim nihil aliud est, quàm virtutis commendatio.

2. Tria sunt de quibus vir pius gloriari potest.

potest. (1) *favor Dei*, à quo instar filii diligitur, ad vitam æternam eligitur, sanctificatur, & tandem aliquando glorificabitur, *Jer. 9: 23, 24.* (2) *cruce & calamitas*, quæ in Sacrà Scripturâ tanquam signa paterni favoris in DEO, commendantur, *Prov. 3: 12. Rom. 5: 3.* (3) *Officium rectè administratum*, quia gloria oritur ex testimonio bonæ conscientia, & testimonio aliorum recte sentientium, *2. Cor. 1: 12.*

3. Duo tamen sunt quæ gloriam & honorem hujus mundi reddunt inanem, (1) si careat fundamento virtutis, & affectetur ab indignis, qui se ipsos commendant, cum aliis se non possint reddere commendabiles. (2) Si hominum favorem tantum aucupatur, inde gloria quidem acquiritur, sed non in Domino.

DE PRÆCEPTO NONO ET DECIMO.

Q. I. *An præceptum nonum & decimum, tanquam distincta præcepta, rectè à se invicem separentur?*

R. Aff. I. Alia enim est concupiscentia *originalis*, quæ est innata post lapsum inclinatio sive propensio animi & corporis, pro-

ritans hominem ad ea, quæ legi divinæ sunt adversa, & in illâ prohibita, & pertinet ad prædicamentum *qualitatis*; est enim defectus connatus, pronus ad malum. Alia concupiscentia *actualis*, quæ est inclinatio sive propensio, quæ apprehendendo, delectando, & consentiendo desiderium suum homo explere gestit, & nisi aliunde fræna iniiciantur, verè etiam explet, & hæc pertinet ad prædicam. *Actionis*; progreditur enim in effectum, & se ipsam prodit. Et hæc concupiscentia prohibetur in præcepto *nono*, illa autem in præcepto *decimo*.

2. In præcepto *nono* prohibetur concupiscentia rerum inanimatarum, quæcunque proximi sunt, in *decimo* autem animatarum, quæcunque proximo sunt usui.

Q. An concupiscentia in renatis sit peccatum?

R. Aff. 1. Ex Rom. 7: 7. peccatum non novi nisi per legem, nam etiam concupiscentiam non nossem, nisi Lex dixisset, non concupisces.

2. Concupiscentia pugnat per se cum lege DEI, d. l. ergo propriè peccatum est, *1. Joh. 3: 4. η̄ ἀμαρτία ἐστὶν ἀνομία.*

3. Parit mortem peccati stipendium; *Rom.*

6: 23. Hinc Apostolus: *malum* (peccatum vers. præced.) *mibi adjacet*, Rom. 7: 21.

4. Auctoritates patrum, testimonia & suffragia quam plurima.

MEMBRUM SECUNDUM

DE EVANGELIO.

Q. 1. *An officium Evangelii sit, nos erudire ut piè vivamus?*

R. 1. Lex circa opera, Evangelium circa gratiam *directè* versatur: quod discrimen Legis & Evangelii, semper manere debet inviolatum.

2. *Indirectè* verò, lex officio Evangelii, perfungitur, & Evangelium officio legis. Cum enim lex hominem suæ imperfectio- nis convincit, & ostendit salutem frustrâ in lege quæri, & hac occasione hominem (qua- si per indirectum) remittit ad Christum, quæ legis est impletio; & sic dicitur *lex pedagogus ad Christum*, Gal. 3: 24. & *Evangelium* *directè* ducit ad Christum, quando o- stendit homini immensum Dei amorem er- ga nos, Christi que meritum, ad diligendum Deum & mandatis ejus obediendum nos in- citat, ut fructus Evangelii digni ferantur,
P s (quod

(quod directum est officium legis,) & ita Evangelium pædagogus ad bona opera legis, non incommodè appellari possit, ex insigni dicto, *Tit 2: 11.* ubi *παίδευέτω* erudire nos dicitur, ut *abnegatâ impietate, sobriè, piè, justè vivamus, &c.*

Q. II. *An omnibus fructuosè prædicetur Evangelium?*

R. Neg. quia (1) Tumidis propriâ justitiâ fructuosè non prædicatur, *Rom. 9: 30. seqq. Phil. 2: 9. seqq.* (2) Nec illis qui onus peccati non sentiunt, nec contriti sunt corde, *Luc. 4: 8.* contritos autem ad se vocat, *Matth. 11: 28.* (3) Nec illis, qui peccatorum cæno se volutant; *sanctum enim non est dandum canibus, Matth. 7: 6.* Sic Christus, Johannes Baptista, Paulus, à poenitentiâ & vitæ emendatione transierunt ad Evangelii prædicationem; (4) secus qui fecerit, non tam utitur quàm abutitur Evangelio.

Q. III. *Quomodo ergo anxie conscientie ex Evangelio erigenda sint?*

R. I. Proponatur ipsis DEI benignitas, (1) qui *habitat in excelsis, & in sancto, & cum contrito & humili spiritu, Esaj. 57: 15.* (2) *respiciat pauperem & contritum spiritu, Esaj. 66: 2.*

2. Filius DEI missus est ad evangelizandum pauperibus, Matth. 11: 5. & ligandum vulnera contritorum, Esaj. 61: 1.

3. Ærumnæ & angustia tales non separant nos à charitate DEI, quæ est in Christo Jesu, Rom. 8: 39.

4. Tristitia secundum DEUM operatur pœnitentiam ad salutem, 2. Cor. 7: 10. Anxietas in his terris est signum futuri extremi iudicii, Luc. 21: 26.

Q. IV. Quomodo illis subveniendum, qui impiis cogitationibus impetuntur?

R. I. Cogitationes tales non libenter quis aperit, cum sint horrendæ, abominandæ, ideo singulari quâdam humanitate eliciendæ.

2. Eæ autem non à DEO, sed Diabolo suggeruntur, DEUS enim est DEUS lætitiæ, vultque ut lætemur in eo: gaudete in Domino semper, & iterum dico, gaudete, &c. Phil. 4: 4.

3. Permittit autem DEUS has afflictiones Diabolo, (1) ut sciamus, qualis sit noster inimicus, qui non modò vitam, sed unius horulæ lætitiâ nobis invidet, (2) Nè quis nimium sese extollat, 2. Cor. 12: 7. (3) Ut virtus divina in infirmis manifestetur, 2. Cor. 12: 9. (4) ut in fide, patientia, oratione &

Sed

Spe probemur; *in angustiâ requiritur Deus, Esaj. 26: 16. (5) ut tentati alios consolari possemus. 2. Cor. 2: 7.*

4. Tentationes piis sunt familiares, *1. Pet. 5: 8. 9. (1) Christus ipse a Diabolo tentatus, Matth. 4: 1. seqq. & tristis fuit anima ejus ad mortem, Matth. 26: 38. (2) David, Paulus, cæterique sancti DEI Apostoli. (3) quem DEUS diligit, corripit, Hebr. 12: 6. Tob. 12: 13.*

5. DEUS non sinit nos tentari supra vires, *1. Cor. 10: 13. ducit ad inferos & reducit, 1. Sam. 2: 6. vid. exempla sanctorum.*

Q. V. Quomodo Melancholico succurrendum?

Resp. Præsuppositis generalibus, de Christi merito & sanguine: 1. Tristitia pellenda est, quia (1) DEUS causa lætitiæ est, & lætificat cor, *Psal. 4: 8. (2) quia impedit preces, absque diffidentiâ autem orandum est, 1. Tim. 2: 8. (3) Expellit Spiritum Sanctum, dum fiducia in DEUM abit, fiduciam in DEUM desperando negat. (4) morbi varii attrahuntur.*

2. Fundamenti loco ponatur exercitium pietatis, diligens verbi meditatio, & precatio; *pax multa diligentibus legem Domini, Psal. 119: 165.*

3. Conversentur cum piis, vino moderatè utantur, musicam ament, sed parcè omnia, nè fiat exinde gaudium seculare.

4. *Conf. Artic. V. DE ANGELIS, Sect. IV. Quest. I. & Præcept. I. quest. VII.*

Q. VI. *Quid si tristitia ita occuparit animum, ut ad inferendas sibi manus quis instigetur?*

Resp. 1. Inculcandum, quàm grave sit hoc peccatum (1) contra legem naturæ, *Eph. 5: 29.* (2) contra 5. præceptum, (3) contra fiduciam in DEUM, *Psal. 2: 13.*

2. Quam caro pretio redempti simus à potestate satanæ, & quam horrendum per abbreviationem vitæ se rursus Satanæ submittere, *Jac. 4: 7*

3. Quomodo Deus faciem suam tegat, non tamen nos prorsus ab ea projiciat, *Esaï. 54: 8.*

4. *Confer præcept. V. Quest. XVII. & XVIII.*

Q. VII. *Quomodo erigendi, qui affliguntur, & nullam mitigationem pœnarum impetrant?*

Resp. 1. Amici DEI, David, Hiob, &c. gravissimis pressi sunt ærumnis.

2. DEUS ipse est, qui talia immittit, qui perniciem tuam non intendit, sed ut (1) peccata agnoscas & fatearis, 2. *Chron. 33: 10-12.*

(2) ut te ipsum abneges, vitam emendes,

DEUM

Deum serio invocés, Christo conformeris, & vitæ æternæ hæres declareris, 2. Cor. 4: 17. 18.

3. Non propterea desperandum, quod mitigationem non videas; non enim defuturus est DEUS tempore oportuno, *Psal.* 91: 15.

4. Deus juvat, dum aut è cruce & calamitate penitus liberat, aut dum afflictiones temperat, 1. Cor. 10: 13. aut dum vires oneriferendo pares subministrat, *Pbil.* 1: 29. 30. aut denique dum temporarias pœnas æternis præmiis gloriôsè commutat, *Rom.* 8: 18.

Q. VIII. Quomodo iis subveniendum, qui impiis & blasphemis cogitationibus crebrò impetuntur?

Resp. I. Detestare has cogitationes, dic, quãdo adventant, apagite satellites Diaboli! testor coram DEO, quod me invito & reluctante talibus cogitationibus impetor, dic cum Paulo, *Rom.* 7: 24. *Ego carnalis sum: arum-nosus homo, quis me eripiet?*

2. Inquire in vitam tuam, an foedis peccatis indulgeas, vel indulseris, quorum causa DEUS te affligi sinat; en desle! & emunda sanguine Christi, & ita fontem mali obstruxeris, 1. *Joh.* 1: 7.

3. Cor tuum sit semper in rebus piis occupatum

patum, DEUM cogita, æternitatem meditare, verbum lege & audi, testimonia DEI sint tui consiliarii, Psalmos cane.

4. Et licet non statim recedant pravæ cogitationes, ne despera, sed cogita, quòd Paulus a Satana colaphis cedebatur, &c. 2. Cor. 12: 8. 9.

Q. IX. *Quæ remedia phreneticis adhibenda?*

Resp. Adhibenda media 1. *Theologica*. oratio Ecclesiæ, gemitus V. D. ministrorum, Præces amicorum, 2. *Ethica*, pia conversatio, jucunda musica. 3. *Medica*, si mali humores adsint. *Conf. Artic. V. Sect. IV. Quest. I.*

Q. X. *Quomodo consolandus, qui angitur, Quod per maledictum (rapiat me Diabolus) se illi tradidit?*

Resp. (1) Proponenda malitia Satanæ, qui nonnunquam invito vel incauto, tales diras extorquet, (2) Eidem protinus resistendum, *Jac. 4: 7.* (3) Nemo sui ipsius corporis est Dominus, ergo nec illud Diabolo tradere potest, *quod vivimus, Domino vivimus, Rom. 14: 8.* (4) Serio usurpet orationem vespertinam & matutinam, & interdium indesinenter suspiret ex *Psal. 51: 3-14. conf. quest. seqq. XI.*

Q. XI.

Q. XI. *Quodnam sit solatium in tentationibus Spiritualibus?*

Resp. (1) Diabolo ejusque tentationibus resistendum, *Jac. 4:7.* (2) diligenter orandum, & exita te ipsum ad preces, juxta mandatum Dei, *Psal. 50:15.* (3) addantur dicta maxime emphatica, *Psal. 71:20. de abyssis terra reduxisti me, Hebr. 4:15. 1. Joh. 3: 8. Job. 16: 22. Ezech. 38:17.* (4) *Conf. Artic. XI. Sect. I. Quest. V. de gaudio spirituali.*

Q. XII. *Quomodo consolandi, qui in sterili vivunt conjugio?*

Resp. (1) Deus optimè scit, quæ nobis sint salutaria, *oramus enim fiat voluntas tua, Matth. 6: 10.* (2) Deus etiam sanctas mulieres afflixit sterilitate, quales *Sara, Rebecca, Rachel, Hanna, Elisabetha,* (3) Deliberis non tenentur reddere rationem, *Luc. 12: 48.* (4) Non metuit liberorum seductionem, *Sap. 4: 11: 12.* (5) *utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios, Syr. 16: 4.* (6) acerbior fit obitus eis, qui liberos coram adstantes vident, (7) Ea est temporum calamitas, ut *Christus exclamet, Matth. 24: 19. v. prægnantibus, &c.*

Q. XIII.

Q. XIII. Quomodo erigendi parentes, quibus liberi nascuntur mortui, vel statim post partum discedunt?

R. (1) Abrahæ semen assumpsit Christus, Hebr. 2: 16. infans factus, infantes non contemnit, pro quorum salute mortuus est, & ipse est DEUS noster & seminis nostri, Act. 2: 39. (2) Liberi per baptismum DEO oblatis, & precibus consecrati sunt, (3) fides divinum opus est quam spiritus sanctus etiam in infantibus operatur, Luc. 2: 44. (4) non privatio sed contemptus Sacramenti damnat. leg. de incircumcisis, Exod. 1: 22. Jos. 5: 6. & de non baptizatis Martyribus, Matth. 2: 16. (5) DEI miserationes super omnia ejus opera, Psal. 145: 9. conf. Artic. IX, Sect. IV. Quest. III.

Q. XIV. Quomodo consolanda matres abortientes, vel monstrum parientes?

R. (1) Incomprehensibilia sunt DEI judicia, Rom. 11: 31. tales speculo sunt impiis, quæ DEO gratias non agunt, quod sani & integris membris conditi sint liberi, (vid. explic. Art. 1. Symboli Apost.) (2) gloria DEI, propagatur, & homines ad gratitudinem erga DEUM, pro membrorum inregritate excitantur, Job. 9: 3. (3) Defectus ille non nocet in-

Q

fanti

fanti, Christus se vermem appellat, *Psal.* 22: 7.
 (4) In novissimo die tolletur omnis defectus,
1. Cor. 15: 43. *Seminatur in ignominia resurget
 in gloria,* (5) *conf. quest. preced. & Artic.
 IX. Sect. IV. quest. III*

*Q. XV. Quomodo consolandi, qui adeo lan-
 guidus & animi & corporis viribus sunt, ut
 nullum à se pium officium prestari posse con-
 quentur?*

R. (1) DEUS opem suam afflictis & ani-
 mo corporeque dejectis promittit, *Psal.* 34:
 19. (2) Paulo conquerenti, quod imbecillior
 esset, respondit DEUS, *2. Cor.* 12: 9. *sufficit tibi
 gratia mea, &c.* (3) DEUS permittit hominem
 corpore & animo ita deiici, ut discat salutem
 non suæ industriæ, viribus aut operibus, sed
 gratiæ DEI, & intercessioni Christi adscri-
 bere, *Psal.* 115: 1. (4) Spiritus sanctus etiam
 tum, cum nos ad suspirandum inepti su-
 mus, nedum ad alia pietatis exercitia, *in-
 tercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus,
 Rom.* 8: 26.

*Q. XVI. Quomodo erigendus, qui jacturam
 bonorum patitur?*

R. (1) Ita redigimur ad agnitionem pec-
 cati, propter quod DEUS punit, *Lev.* 26: 26.
 (2) Et Christus fuit pauperrimus, *Matth.* 8:
 20. (3)

20. (3) DEUS novit necessitatem nostram, itaque necessaria victu expetamus, *Prov. 30:8. add. 1. Tim. 6: 6.* (4) DEO, qui miseriam facile mutare potest, exitum commendemus, *Psal. 37: 3. 5. add. Psal. 55: 23.* (5) laboremus cum pietate, *Psal. 34: 11.* in timore Domini, *Psal. 112: 1. 3. conf. Syr. 11: 14. 15.*

Q. XVII. Quomodo resistendum melancholicis cogitationibus, ortis ex defectu opum, honoris, sanctitatis? &c.

Vid. Artic. V. de Angelis, Sect. IV. quest. III.

Q. XVIII. Quomodo consulendum ei, qui ob male parta angitur?

Vid. precept. septim. Decal. Quest. VIII.

Q. XIX. Quomodo Pastor in annone caritate & aliis calamitatibus publicis, populum consolari debet?

R. (1) Ostendet DEum justum judicem & vindicem, autorem ærumnarum. (2) causas calamitatum peccata esse indicet. (3) ad eorum agnitionem hortetur. (4) Pœnitentibus & contritis, gratiam per Christum promittat. (5) Exhortetur ad fructus pœnitentiâ dignos; ut ditiores pauperibus subveniant, hi illis inserviant, (6) commonefaciat ad preces pro aversione pœnarum (7) a

magistratu submissè impetret, ut consulat de mediis, quibus necessitati publicæ succurratur.

Q. XX. Quid, si quis in tentationibus spiritalibus moriatur, de ejus salute sentiendum?

R. (1) Impossibile videtur, pios in tentationibus posse succumbere, *Matth. 24: 24. Job. 10: 28. 1. Cor. 10: 13.* (2) respicienda vita antea facta, (3) tentationes suboriuntur præter voluntatem & propositum. (4) S. Scripturæ dicta consolatione plena legantur, *1. Sam. 16: 7. Psal. 73: 26. Rom. 8: 39.*

ARTICULUS XII.

DE PŒNITENTIA.

Q. I. Quomodo quis ad pœnitentiam incipit?

R. Consideret (1) peccati *deformitatem*, quod est venenum serpentis infernalis, mortem homini accersens, infinitum malum lædens DEUM, qui est bonum infinitum. (2) Peccatorum *multitudinem* contra omnia præcepta DEI commissorum, cogitationibus, verbis, operibus, ex ignorantia, infirmitate & malitia (3) Divinæ Majestatis *celsitudinem* quam offendit, (4) *passionem*

nem Christi acerbissimam, ad abolenda peccata nostra susceptam. (5) peccati mercedem, in extremo iudicio, *Matth. 25: 41.*

Q. II. *An contritio possit esse sufficiens & delictis respondens?*

R. Neg. quia nudus homo infinitum pretium pro peccatis nunquam offerre potest, *Psal. 19: 15. delicta quis intelligit? & 90: 11. quis considerat vim ira tue, & quis, ut par est, timet indignationem.*

Q. III. *Quomodo consolandus, qui se de peccatis suis non satis doluisse queritur?*

R. (1) Contritio suos habet gradus, in alio major, ut in Davide, *vid. Psal. pœnit. Manasse, 2. Chron. 33: 19.* in Petro, *Matth. 26: 75.* in alio minor, ut in Aarone, *Exod. 32: 22.* (2) sufficit, si contritio sit vera, nota enim est DEo infirmitas & imperfectio nostra, quâ non imputabit nobis, si nos verè humiliaverimus.

Q. IV. *Quomodo ad fidem, alteram pœnitentiæ partem, quis incitandus?*

R. (1) *Auditione & lectione verbi DEI, Rom. 10: 14.* (2) *Usu sacramentorum*, quæ sunt verbum visibile, & sigilla iustitiæ fidei (3) *consideratione misericordiæ divinæ*, quæ est in-

est instar abyssi, nostra autem peccata pulvisculi & guttulæ; & meditatione meriti Christi, quod est perfectissimum & efficacissimum λύτρον pro peccatis, 1. Job. 1:7. (4) consideratione universalissimarum promissionum Evangelii, à quibus nemo excluditur, & (5) juramenti divini, cui confidenter inniti possumus, Ezech. 18: 23. (6) & exemplorum, quæst. III. (7) confer Artic. X. de fide, quæst. V. & VI.

Q. V. An ille, quem verè pœnitet, debeat proximo restituere damnum illatum?

R. (1) Non tantum deprecabitur culpã, sed etiam recompensabit, Exod. 21: 22. (2) vera contritio non tolerat aliunde corrasas opes, Luc. 19: 8.

Q. VI. An opera Ecclesiastica satisfactionis spontè suscipi possint?

R. Aff. (1) Exemplis sanctorum, quæ conjuncta fuerunt cum verã pœnitentia, non ut hypocritæ, Esaj. 58: 3. 4. (2) Nec tamen meritum illis affingatur, Luc. 17: 10.

Q. VII. An sperare possint salutem, qui pœnitentiam in ultimam vitæ horam differunt?

R. I. Pœnitentia sera, rarò est vera, & si est vera non est sera, de qua solus DEUS judicat, Act. 1: 24. 2. vid.

2. Vid. Artic. VII. de peccato, quest. VIII.

Q. VIII. Quid nos à procrastinatione pœnitentia debormari debet?

R. eandem quest. VIII. Artic. de peccato.

Q. IX. An opus sit continuatione & renovatione pœnitentia?

R. Aff. (1) Moses populo in memoriam revocat præterita peccata, Deut. 9: 7. seqq. David. supplicat pro peccatis pueritiæ, P/al. 25: 7. Paulus crebrò de persecutione suâ memorat, & ostendit, quàm malè ipsum habeat peccatum illud, 1. Tim. 1: 13. (2) continuò & quotidiè labimur, continuâ igitur opus est pœnitentiâ, Gal. 6: 1. (3) jugis illa & non interrupta resipiscentia, incitamentum est ad humiliationem, Deut. 9: 6. 7. Estque nostræ gratitudinis erga DEUM, 1. Tim. 2: 12. 13. & commiserationis atq; lenitatis erga proximum, Matth. 18: 21. etiam retinaculum, nè in vitia prolabamur, 1. Cor. 15: 9. 10.

Q. X. Quomodo consolandus, qui putat se nimis seram agere pœnitentiam?

R. (1) Quamdiu vivimus janua gratiæ patet, P/sal. 95: 8. Hebr. 3: 13. (2) DEUS etiam

illos vocat, qui in peccatis occalluere, *Eſaj.* 30: 18, & 65: 2. *Jer.* 31: 21. *Rom.* 2: 4.

Q. XI. Undenam certò colligere liceat, quempiam ad Deum nandum verè esse converſum?

R. (1) In talibus eſt contemptus v. bi, *Job.* 21: 14. 15. & quæ Christus, *Matth.* 13: 14. 15. citat ex *Eſaj.* 6: 9. 10. *crasſum factum eſt cor populi hujus, auribus non audiunt.* (2) oderrunt correctionem, & furenter inſurgunt in corrigentem, *Prov.* 15: 12. (3) latantur in peccatis perpetratis, *Prov.* 4: 16. *veſcuntur cibo improbitatis,* v. 17. (4) contemnunt minas & judicia DEI, *Deut.* 29: 19. 20. *conf.* *Pſal.* 36: 2. 3.

ARTICULUS XIII.

DE ECCLESIA,

Q. I. Quinam ſunt vera membra Eccleſiæ?

R. (1) Omnes baptizati, ſive in gremio Eccleſiæ ſive extra illud nati, piè perfeverantes, *Gal.* 3: 27. 28. (2) Subintrarunt etiam in hanc Eccleſiam viſibilem & militantem multi hypocritæ, impii & empactæ, qui beneficiis Eccleſiæ fruuntur, verbum DEI audiunt, ſacram ſynaxin adeunt, ſed non eâ devotione, quâ veri fideles, hiſce utuntur beneficiis:

neficiis: qui quidem sunt in Ecclesiâ, sed non sunt de Ecclesiâ. de quibus Christus agit in parabolâ, *Matth. 13: 25.*

Q. II. An ergo soli electi sunt vera Ecclesiæ membra?

R. Neg. quia S. Scriptura expressè dicit, omnes verâ fide cum Christo conjunctos esse vera Ecclesiæ membra, *Eph, 3: 16. 17.* jam verò notum est, multos fideles excidere fide, *conf. Artic. IX, Sect. IV. quest. IV. V.* & sic desinere esse vera membra Ecclesiæ, *Joh. 15: 1. seqq. Rom. 11: 20. seqq.* non ergo soli electi sunt vera membra Ecclesiæ, cum soli illi electi dicantur, qui in ista fide ad finem perseverant, *Matth. 24: 13. Apoc. 2: 10.*

Q. III. An Angeli sint membra Ecclesiæ?

R. (1) In Ecclesiâ ante lapsum fuisse membra Ecclesiæ, nonnullis videtur probari ex *Col. 1: 15. 16.* (2) In Ecclesiâ triumphante, negari non potest illos fore Ecclesiæ membra, *leg. Hebr. 12: 22. 23.* (3) in Ecclesiâ autem hic militante, non possunt dici membra, sed custodes, *Hebr. 1. ult.*

Q. IV. An certi esse possimus, Ecclesiam illam in qua vivimus esse veram Ecclesiam?

Resp. Aff. Ex illis fundamentis, quæ adducta

ducta sunt, de verâ nostra religione, *Artic. II. de DEO, Sect. II. Quest. XI.*

Q. V. An ab illâ Ecclesiâ faciendâ sit secessio, in quâ tolerantur improbi?

Resp. (1) In quantum possibile, danda est opera, ut notoriâ improbitatis homines e cœtu Ecclesiæ ejiciantur, *1 Cor. 5: 1, 2. 2. Thess. 3: 6.* (2) Si autem tolerantur impii, spe emendationis, non propterea ab Ecclesiâ secessio faciendâ, nam (a) mixtum erit triticum cum Zizaniis, *Matth. 13: 25.* (b) Paulus patientiam & lenitatem requirit *erga fratrem peccato aliquo occupatum, Gal. 6: 1.*

Q. VI. Qualis sit fidelium unio cum Christo?

Resp. Unio hæc est quâ substantiam, sed talis, quam mens non capit, ne-dum lingua eloqui potest; quia (1) Scriptura Sacra planis verbis adstruit, DEi & Christi cum fidelibus, qua fideles sunt, substantiæ conjunctionem, *Job. 14: 23. 2. Pet. 1: 4.* quod quidem ut singulare privilegium deprædicat, *Job. 14: 17. Eph. 5: 30.* (2) patet hoc ex variis similitudinibus (a) Sponsi & sponsæ, imò Evæ è costa Adami formatæ, *1. Cor. 11: 1. Apoc. 21: 2.* (b) Capitis & membrorum, *Eph. 4: 15, 16* (c) vitis & palmitum (d) fundamenti & ædificii,

dificii, *Eph. 2:20. seqq. 1. Pet. 2:5.* (3) Idem probant fructus ex hac fidelium cum Christo conjunctione manantes, *Esai. 53:4. Act. 9:4.5.* (4) *Conf. Artic. IX. de Christo Sect. IV. Quest. II.*

SECTIO II.

DE RELIGIONE.

*De hac fuse actum est in Artic. II. De DEO
questionibus 34*

SECTIO III.

DE CLAVIBUS & DISCIPLINA ECCLESIASTICA, & PRIMO de clave solvente.

Q. I. Quid est potestas clavium?

Resp. Potestas Clavium est, qua V.D. ministri, ex mandato Salvatoris Christi, peccatores pœnitentiam agentes a peccatis, per fidem in Christum, absolvunt, impœnitentes verò, & in manifestis sceleribus perseverantes, retentis peccatis, a communiōe Ecclesiæ, secundum Christi præceptum, excludunt; atque sic infirmi confirmantur, ἀτάρξιντες in officio retinentur, perveraces coërcentur, nè conversio per prædicationem verbi instituta impediatur, & conversi in transversum abripiantur, *Matth. 16:19. & 18:17. 18. 1. Cor. 5:5.*

Q. II.

Q. II. *An Confessionarius possit sibi arrogare potestatem judicariam?*

R. Neg. quia (1) hæc potestas judicaria in Sacra Scriptura nusquam est fundata, quippe quæ unum judicem nobis proponit, qui est Christus, *Matth. 9: 2. 6. Jac. 4: 12.* (2) Habent autem sacerdotes, confessionibus audiendis intenti, potestatem *ministerialem*; penes illos enim est judicium non *excussionis*, quo omnia rimentur, summa, ima, maxima, minima perscruentur, & abditissimos etiam recessus expiscentur; sed *discretionis*, ut, pro ratione officii sui, inquirent in doctrinam, & vitam confitentium, an capita doctrinæ Christianæ rectè calleant? an de admissis ex animo doleant? An Dei gratiam & Christi justitiam ardentè sitiant? an vitæ emendandæ serium propositum habeant? atque participatione absolutionis, moraliter se dignos exhibeant? quæ omnia cū ex generali examine & confessione, aliisque pietatis indiciis, abunde cognosci possint, specialis omnium delictorum enumeratio supervacanea est, & impossibilis, *Psal. 19: 15.*

Q. III. *An confessio privata, in Ecclesiis Lutheranis usitata, sit necessaria?*

Resp.

Resp. Confessio privata in Sacra Scriptura expressè & singulariter non injungitur, necessariam tamen esse, *patet ex quest. preced.* ut habeat confessionarius judicium discretionis, verè vel secus confitentium.

Q. IV. Est ergo confessio auricularis, omnium sc. peccatorum enumeratio, abroganda?

Resp. Aff. Quia (1) nullum habet in Sacra Scriptura mandatum, aut exemplum. (2) in primitiva Ecclesia non fuit usitata, (3) Est impossibilis, (4) Scrupulosa illa omnium peccatorum enumeratio, in dubitationem & desperationem adducit.

Q. V. An Pastor de cujusvis auditoris, quem absolvit, statu certior esse debeat?

Resp. Aff. Namque (1) si Christianus, etiam in adiaphoris, certus esse debet, *Rom.* 14:5. quanto magis in tam arduo & magni momenti negotio, id ministro Ecclesiæ, si officio suo ritè fungi velit, conveniet? *Act.* 20:28. (2) Si pastor pecuarius, cujusvis capitis è grege sibi commisso, curam habere tenetur, quanto magis Pastori Ecclesiæ, cui cura hominum sanguine Christi redemptorum, concredita est, vitio vertetur, si hac in parte somnolentior ac negligentior fuerit,
in in-

in inquirendo auditorum suorum statu, præcipuè quoad vitam & mores, *Ezech. 3: 17. 18. Hebr. 13: 17. leg. Ordin. Eccles. Cap. 8. §. 2. circa finem.*

Q. VI. An ignavis doctriinæ catechetice absolutio annnncianda?

R. Neg. nam (1) in personis, quæ a peccato absolventur, necessatiò requiritur doctriinæ catechetice cognitio; (a) solis enim credentibus annuncianda est a peccatis absolutio, *Job. 3: 16. Eph. 2: 8. Fides; autem cognitionem articulorum fidei præsupponit, Rom. 10: 14, seqq.* (b) quia DEUS seriò prohibet, *nè sanctum detur canibus, aut Margarithæ porcis obiicantur, Matth. 7: 6.* quod utique fit, ubi his annunciatur a peccato absolutio, qui nec quid sit peccatum, nec quid sit gratia, intelligunt. (c) quia ad absolutiõnem non est admittendus quisquam qui *se ipsum probare non didicit, 1. Cor. 11: 28.* Lydius autem lapis, ad quem homines se & suam vitam exigant, est verbum DEI, *2. Pet. 1: 19, leg. Psal. 119.*

(2) *Leg. Ordin. Eccles. Cap. 8: §. 3.* (3) *Artic. I. Sect. II. Quest. IX.*

Q. VII. An Ecclesia minister de crimine, quod percrebuit, interrogare debeat confitentem?

Resp.

Resp. (1) *Ex Luc 16: 2.* Dominus injustum œconomum sic alloquitur, *quid hoc audio de te, redde rationem,* (2) *Ex 1. Cor. 5: 1.* omninò auditur inter vos *scortatio,* *conf. 1. Cor. 11: 18.* (3) Non modò qui indignè accipiunt sed & qui indignè exhibent Sacramenta, peccant. (4) *Conf. ordin. Eccles. Cap. 7: § 4.*

Q. VIII. *An quis crimen, quod confessionarius ob famam publicam inquirat, inficiari possit, sub prætextu, quasi id DEO sit confessus.*

Resp. 1. Quamvis confessionarius neminem cogere possit ad confitendum, si tamen justas habeat interrogandi causas, confitens illud inficiari nequit, Nam (1) Confessio DEO ejusque ministro facta, una est, nec separari potest, ut quod DEO fatetur, huic negare non possit. (2) Quare dissimulatio hæc ex hypocrisis proveniens, qua peccata peccatis cumulantur, impunita non manet. (3) *Nè confundaris confiteri peccata tua, nec coneris contra impetum fluvii, Syr. 4: 29. 30.* (4) Qui sibi persuadet, Confessionarium paternam quadam affectione secum agere, ut à malis actionibus absterreatur, is nihil quicquam eum celabit.

2. Confer, quæ habet Ordin. Ecclesiast. Cap. 7: § 4. & cap. 8: § 3.

Q. IX. An minister suspectos sinistra fama arguens, Injuriam faciat, adeoque in foro conveniri possit?

R. (1) Non est injuria, sed opus bonum ad ministri officium spectans, qui se alieni peccati participem reddere minimè debet, (2) confitens certus de iuocentia sua, nullum propterea in pastorem odium concipiat, sed monita ejus æqui bonique consulat, leg. 2. Cor. 5: 13. 14. (3) Magistratus actionem seu processum contra confessionarium non patietur institui.

Q. X. An minister Ecclesiæ eos, qui à confessionibus abstinent, speciatim corripere debeat, vel sufficiat à suggestu in genere redarguere.

Resp. Aff. Prius (1) quia Christus unius Thomæ salutem quæsit, Job. 20: 26. (2) Christus se comparat pastori, qui unicam ovem quærit, Luc. 15: 4. (3) Si precipitatus, fuerit homo Ec. Gal. 6: 1. (4) Paulus unumquemque monuit cum lacrymis, Act. 20: 31. (5) qui de uno non est sollicitus, ei nec totius Ecclesiæ salutis curæ erit, confer Admonitionem Chrysostomi, ex Artic. I. Sect. II. Quest. X,

Q. XI. *An qui alicujus sceleris est suspectus, à confessione sit arcendus?*

Resp. 1. Confessionarius, pro sua prudentia, indicet tali suspecto malam, quæ de eo spargitur, famam; quod si delictum fateatur, serioque doleat, in nomine DEI, qui nullum pœnitentem reiicit, absolvat.

2. Sin delictum negat, seque purgare conetur, Pastor iram DEI, quam sibi tali negatione accelerat, ob oculos ei statuatur, *Prov. 28: 13.* & quâ fronte audeat in conspectum DEI venire, qui, quæ nos gerimus, omnia audit videtque, *Fer. 23: 23, 24. Syr. 23: 24. 29. confer Ordin, Eccles. cap. 7. §. 4. & cap. 9: §. 4*

Q. XII. *An Pastor confitenti debeat delictum in se commissum obucere, vel magistratus decisioni committere?*

R. 1. Pastor læsus primùm debet delinquentem alloqui, (1) ex mandato Christi, *Matth. 18: 15. seqq. si peccaverit in te frater tuus, &c.* hoc cum fit & reus agnoscit delictum, accusatione ad magistratum non est opus. (2) item ex *Matth. 5: 23. si offers munus tuum ad altare, ibique recordaris &c.* (3) Christus vetat *sanctum dare canibus, &c. Matth. 5: 6.* (4) add. *Ezech. 3: 18.*

2. In hoc casu Pastor gradus admonitionum observet, & sine consensu Consistorii nihil agat, nè privatis affectibus indulgere videatur.

Q. XIII. *An Ecclesie minister à confitente aliquid honorarii loco accipere possit?*

R. (1) Honorarium illud à nemine exigitur, sed sponte oblatum accipitur, non ut absolutionis pretium, sed gratitudinis signum. (2) iste modus V. D. ministris benefaciendi, non est *divinae institutionis*, sed *humanae ordinationis*, secundum cujuslibet Ecclesie consuetudinem, (3) præstaret tamen, si aliâ ratione prospiciatur Ecclesie ministris, vel auctione salarii, vel aliis donariis & honorariis, nè habeant invidi quod fugillent.

Q. XIV. *An quis, pendente lite, bonâ cum conscientia possit confiteri?*

R. 1. Si lis sit *publica*, quæ justâ de causâ ad magistratum est devoluta, & interea sine rancore & indignatione vivitur, ad confessionem & S. Cœnæ usum litigantes possunt admitti, cum gravi admonitione, ut benè sese probent, 1. Cor. II: 28.

2. Sin lis sit *privata*, non sunt admittendi;
& quo-

& quomodo se ut christianos gerant, dictū est *ad Præcept. octavum, Q. I. II. III.*

Q. XV. An confessio sæpius à Christianis intra annum repetenda?

R. Aff. quia (1) absolutionis privatæ thesaurus, est incomparabilis, quâ immunes à peccatis & pœnis omnibus pronunciamur, & indubitata promissione de consequendâ vita æterna, certificamur. (2) Confessio & absolutio privata, est vitiorum dissipatrix. (3) cedit in exemplum juventutis, quæ nostra intermissione vel longa dilatione graviter offenditur. (4) Accedit naturæ humanæ imbecillitas, per & propter quam multi sentiunt se obnoxios esse privatis odiis, invidiæ, superbiæ, ambitioni, & id genus affectibus aliis; qui quasi amputantur & exciuntur, si frequens confessionis & absolutionis usus ritè adhibeatur.

Q. XVI. An quæ in privatâ confessione V. D. ministro conceduntur, revelare possit?

R. Neg. Nam (1) Ecclesiæ minister est DEI legatus, & sustinet vicem Christi, jam DEUS gravissima peccata hominis ingenuè fatentis, & ex animo desilentis, tegit, delet & longissimè remoyet, & in profundum ma-

ris abiicit, *Mich.* 7: 18. 19. (2) & Paulus, 2. *Cor.* 13: 10. severitate & autoritate concessa utamur, non ad destructionem, sed edificationem, (3) imitentur Christum, *Matth.* 12: 19. 20. (4) alia ratio est, cum talia delicta conceduntur, quæ in perniciem Reipubl. vel civitatis, &c. vergunt, quæ detegenda sunt, sed persona, quæ scelus facta & detectata est, non detecta, *conf. Ordin. Eccles.* cap. 7: §. 2. quæ pœnam capitalem decernit proderenti confessionem talem privatam.

Q. XVII. Quid circa surdos & mutos, in confessionis negotio, suscipi oporteat?

R. (1) Hi divino iudicio sunt commendandi, & DEUS tam publicis, quàm privatis precibus invocandus, ut *qui surdum & mutum fecit.* *Exod.* 4: 11. eos gratia sua adjuvet. (2) adducendi sunt in cœtum sanctorum, ut ex frequenti intuitu actuum divinarum, præsertim confessionis & communionis, desiderium eorum participandorum luculentis signis & indiciis testentur, (*conf. Artic. I. Sect. II. Q. XI.*) & ad communionem admittendi, *vid. Ordin. Eccles.* cap. 8: §. 3.

SECUNDO, DE CLAVE LIGANTE.

Q. I. An, qui enorme commisit delictum, ad publicam prius deprecationem cogendus, quam ad absolutionem admittatur?

R. Aff. quia (1) Christus, Matth. 5: 23. 24. vult ut offendens, priusquam ad altare munus suum offerat, fratri offenso reconcilietur; at peccator publicus toti Ecclesiæ scandalum dedit, eamque offendit, ergo a tota Ecclesia culpam deprecari tenetur. (2) David, Petrus, aliique, in publicis Scriptis delicta sua confessi sunt. (3) alii monentur, ut sibi caveant. (4) Tota Ecclesia pro ove perita & inventa gratias DEO aget, vid. Ordin. Eccles. cap. 9. §. 1. seqq.

Q. II. Cur deprecatio intermittenda est, in delictis privatis & occultis?

R. (1) Quia ex scelere ignoto non oritur scandalum, (2) sed potius datur scandalum per deprecationem publicam; & hinc fit, ut quæ læsio, antè occulta erat, manifestetur, & litigia exoriuntur, quæ tamen evitanda.

Q. III. An personæ eminentiores à deprecatione publicâ exempti sint?

R. Neg. quia (1) pœnitentia non admittit respectum personarum, (2) personæ emi-

mentiores majus præbent scandalum, (3) in judiciis non est habenda ratio personarum, sed (4) speciali tamen dispensatione hæc deprecatio in mulctam pecuniariam converti solet; quia in pœnis arbitrariis, sæpè ratio dignitatis & nobilitatis habetur, *vid ordin. Eccles. cap. 9. §. 4.*

Q. IV. An deprecatio publica pœnam politicam tollat, & vice versâ?

R. Neg. quia (1) deprecatio publica pertinet ad forum poli, pœna civilis vel politica ad forum soli; *illa* DEO, *hæc* magistratui præstatur, (2) *illa* est actus Evangelicus, *hæc* legalis, (3) crimina, quæ legibus civilibus vindicantur, mortem naturalem vel civilem concernunt, at pœna Ecclesiastica est medicinalis, ut lucrifiant qui aberrarunt, *leg. Matth. 18: 15. 1. Cor. 5: 5.*

Q. V. Quæ fuerit olim disciplina Ecclesiastica, & quæ adhuc viget?

R. I. Disciplina Ecclesiastica præcipuè consistebat olim in excommunicatione, quæ erat, vel *minor*, quæ ab usu S. Cœnæ peccator excludebatur, vel *major*, quæ prorsus ab Ecclesia, omniqve piorum conversatione & familiari commercio segregabatur.

2. Utraque excommunicatio, in nostris Ecclesiis, est in usu; *minor*, quia vult Christus, *nè sanctum projiciatur canibus, margaritæ porcis*, Matth. 7: 6, *conf.* Matth. 18: 15. 17. *major*, quia Paulus ait: *modicum fermentum totam massam corrumpit*, 1. Cor. 5: 6. Itaque membra putrida & emortua a sano corpore rescindi debent, nè pars sincera inficiatur; hinc excommunicatur incestuosus. 1. Cor. 5: 5.

3. Sunt & aliæ pœnæ leviores, quibus compescuntur inobedientes & immogeri, ut cippi, manicæ, numellæ, vel multa pecuniaria: *videatur edictum regium de juramentis & profanatione Sabbathi, & alia alibi.*

2. VI. *Quis processus in excommunicatione adhibendus est?*

R. Cum excommunicatio major, qua obstinati & indurati peccatores ab Ecclesia & omni conversatione ac consortio piorum segregantur, sit pœna gravissima, hinc Rex noster Clementissimus, in ordin. Ecclesiast. processum cum excommunicandis præscribit; ex quo patet quàm invitè ad istam pœnam verè horrendam, pertinacibus irrogandam, procedatur, *leg. cap. X. §. I. II. III. IV. V. in Ordin. Eccles.*

Q. VII. *An disciplina Ecclesiastica sit saltem voluntaria, sine ullâ coactione?*

R. Ita calumniantur adversarii, quòd sit quædam collusio cum delinquentibus; sed ad exemplū *Salomonis* Abjatharem relegantis, 1. *Reg.* 2: 27. & *Saulis*, magos extirpantis, 1. *Sam.* 28: 9. ita & jam pius magistratus civilis, maximè urget executionem disciplinæ Ecclesiasticæ, leg. *Ordin. Eccles.* cap. IX. §. II.

SECTIO IV.

DE ADIAPHORIS, & libertate Ecclesiasticâ.

Q. I. *An Ecclesia minister ceremonias usitatas mutare possit?*

R. Neg. quia (1) Non est Dominus, sed minister Ecclesiæ, (2) mutatio ceremoniarum, si quæ fieri debet, pertinet ad totam Ecclesiam, (3) incertum est, an mutatio illa sit fructuosior, juxta illud: *omnis mutatio periculosa.*

Q. II. *An in mutatione sive abrogatione ceremoniarum cedendum sit adversariis?*

R. Neg. quia (1) repugnat illa cessio libertati Christianæ; qui enim ritus alicujus immu-

immutationem urget tanquam necessariam, jugum servitutis imponit; ut monet Apostolus, *Gal. 5: 1. quâ libertate vos Christus liberavit, in eâ state, & nolite iterum jugo servitutis subiici. conf. 2. Cor. 6: 14. (2)* Idem Paulus, nè ad momentum quidem voluit cedere irreptitiis fratribus, *Gal. 2: 4. 5.* quod est præclarum dictum. *Daniel* nè quidem clausis fenestris precari voluit, nè vel tantillum concedere videretur adversariis, *Dan. 6: 10.* Et *Eleazarus* adduci non potuit, ut vel simularet esum carnis suillæ in gratiam tyranni, *2. Macc. 6: 19. seqq. (3)* Cessio ergo illa non caret suspitione collusionis, præsertim apud simpliciores.

Q. III. Estne ergo necessarium, ut sit omnimoda conformitas rituum in omnibus Ecclesiis?

R. Non est necessarium, (1) Pontificii quidem uniformitatem ceremoniarum urgent, & eam notam quandam veræ Ecclesiæ faciunt, sed conformitas illa, si nimis urgeatur, convellit libertatem christianam, de quâ actum est *Quest. II. (2)* præter ea, quæ dicta sunt, *Quest. I. & II.* adducimus Augustanam confessionem, quæ *Artic. VII.* satis esse statuit, ad veram Ecclesiæ unitatem,

consentire de doctrinâ Evangelii & administratione Sacramentorum, neque necesse esse, ubique similes esse traditiones humanas, sive ritus aut ceremonias ab hominibus institutas, & formula concordia Artic. X. Credimus, docemus & confitemur: quòd Ecclesia alia aliam damnare non debeat, propterea, quòd hæc vel illa plus minusve externarum ceremoniarum, quas Dominus non instituit, observat, &c. Vetus est dictum: dissonantia jejunii non dissolvit consonantiam fidei.

SECTIO V. DE SCANDALO.

Q. I. Quo sensu, necessum sit venire scandala?

R. Verba Christi, Matth. 18: 7. Neesse est venire scandala, non intelligenda sunt de necessitate absolutâ, sed hypotheticâ; attentâ enim hominum pravitate, positâ Diaboli astutiâ, pensiculatâ cordis securitate, quæ à Christo infallibiliter prævidebantur, necessum est venire scandala.

Q. II. An scandalum sit peccatum mortale?

R. Aff. (1) quia clara est DEI vox, Deut. 27: 26. maledictus qui non permanet in omnibus, &c.

bus, &c. (2) & Christus *Matth. 18: 6. qui scandalizaverit unum de pusillis, &c. (3)* Est scandalum sæpè causa ruinae proximo, atque sic est contra charitatem christianam.

Q. III. Quotuplex sit scandalum?

R. Est duplex: datum & acceptum, sive activum & passivum. 1. Scandalum datum committitur, vel (1) in doctrinâ & falsis dogmatibus, a quibus Christus jubet Apostolos sibi cavere, *Matth. 7: 15. attendite à falsis Prophetis*; vel (2) in moribus, de quo Apostolus agit, *Rom. 2: 21. 22. 23. qui alium doces, teipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris, &c*

2. Acceptum contingit (1) quando sapientes hujus mundi, & hypocritæ, rectè dictis & factis scandalizantur, *ut 1. Cor. 1: 23. Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*, (2) cum juniores vel infirmiores offenduntur malè factis vel dictis, vel benefactis & dictis, sed non suo tempore, *leg. Matth. 18: 6. væ scandalizanti: leg. monitum Apostoli, Rom. 14: 15-21.*

Q. IV. An scandalo activo semper respondeat passivum?

Resp.

R. Neg. quod patet exemplis piorum, qui gratia DEI & invocatione spiritus sancti, impiorum illecebris inescati non sunt, ut *Joseph*, Gen. 39: 8. 9. *socii Danielis*, Dan. 3: 16. 17. 18. *Eleazarus*, 2. Macc. 6: 19. *seqq.* hinc pium & salutare est monitum Salomonis, *Prov.* 1: 10. *seqq.* *si peccatores te pellexerint, nè velis illis obedire. &c.*

Q. V. An aliquis seipsum scandalizare possit?

R. Aff. 1. Hoc enim Christus indigitat, *Matth.* 18: 9. *si manus tua vel pes tuus scandalizat te, &c.* quod Apost. *Jacobus cap.* 1. 14. de concupiscentia mala explicat, quia non vult Christus, ut corporis nostri, sed veteris Adami membra excindamus, videlicet fornicationem, immunditiam, concupiscentiam pravam, avaritiam, &c.

2. Est scandalum, vel *internum*, vel *externum*: in interno vetus Adam novum hominem scandalizat; in unoquoque enim post lapsum est *caro & spiritus*, quæ continuò sibi invicem adversantur, ut docet spiritus Dei, *Gal.* 5: 17.

3. Sunt inter Bb. patres, qui per *oculum*, intelligant superiores, per *manus*, æquales, per *pedes inferiores & ministros*; hi licet
nobis

nobis tam chari sint & utiles ac ipsa membra, tamen si nos scandalizent, a nobis sunt divellendi.

ARTICULUS XIV.

DE SACRAMENTIS.

*Abrogatis Vet. Testamenti Sacramentis, Nov. Testamenti consideremus
& quidem.*

(A) DE BAPTISMO.

SECTIO I.

DE BAPTISMI USU, ET BAPTIZANDIS.

Q. I. An Baptismus sit ad salutem necessarius?

R. Aff. quia (1) patet ejus necessitas ex Job. 3: 5. & Marc. 16: 16. (2) quod obiicitur ex Gen. 17: 7. infantes christianorum esse prius in fœdere, Disting. inter jus ad fœdus vel promissionem de fœdere, & ejus applicationem.

Q. II. An infantibus in baptismo fides conferatur?

Resp. Aff. Quia I. Parvuli in baptismo recipiunt

cupiuntur in gratiam, & placent DEO, cum aliàs in peccatis concepti & nati sint, *Psal.* 51. 7: & natura filii iræ, *Eph.* 2: 3. jam v. impossibile est DEO placere absque fide, *Hebr.* 11: 6. ergo eis donatur fides in Baptismo.

2. *Infantum est Regnum cœlorum, Marc.* 10: 13. 14. quod ut ingrediantur, baptismo opus est; *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non ingredietur in regnum cœlorum, Job.* 3: 3.

Q. III. *An Baptismus sæpè iterandus?*

Resp. Neg. (1) *Eph.* 4: 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*; semel tantum nascimur, ergo semel tantum renascimur. (2) Repetitionis Baptismi neque in institutione Christi, neque in praxi Apostolica, ullum apparet vestigium; in institutione autem Cœnæ Dominicæ, addit Christus: *quotiescunque ederitis, biberitis, Luc* 22: 19. *1. Cor.* 11: 6.

Q. IV. *An adulti, nondum instructi in religione Christianâ, sint baptizandi?*

Resp. Neg. (1) Ex verbis institutionis, ubi Christus primò jubet docere, deinde baptizare omnes gentes, *Marc.* 16: 15, 16. (2) Johannes Baptista & Apostoli Auditores suos prius docue-

docuerunt, quam baptizarunt, *Luc. 3:3. Act. 2:36-38.* (3) Quod verò legitur, *Marc. 1:4.* Johannem Baptistam in eremo baptizasse & predicasse, est *ὑπερολογία* & inversio ordinis, leg. *Matth. 3:1. seqq. Act. 8:12. 13.*

Q. V. An laici possint administrare baptismum?

Resp. Ordinariè administrare non possunt, sed in *casu extremae necessitatis*, cum infanti aut sine baptismo moriendum, vel a Laico baptizandus sit, leg. *integrum Caput IV. in ordin. Ecclesiastica, om NódDooP.*

Q. VI. Quid faciendum Ecclesiae ministro, si parentes justo diutius baptismum infantis differant?

Resp. 1. Graviter peccant parentes, qui baptismum suorum liberorum de die in diem procrastinant, qui si interea absque baptismo moriantur, a contemptu baptismi parentes se liberare nequeunt.

2. Officium autem ministrorum Ecclesiae est, rogare, hortari & urgere parentes, nè propter privatum aliquem honorem, lucrum aut commodum, se & infantem in periculum conjiciant.

3. Infantes verò, si interea moriantur, damna-

damnare non audemus, quia a parte illorum nullus fuit contemptus, sed privatio: misericors DEUS, qui ad media se non obstrinxit, ipsis, ut Johanni Baptistæ, fidem largiri potens est, *ut iniquitatem patris non portent*, *Ezech.* 18: 20. Pater autem non sine multa discedet, *vid. Ordin. Eccles. cap. 3. §. 2.*

Q. VII. An ad efficaciam baptismi requiratur, ut minister baptizans sit orthodoxus?

Resp. Si substantiam baptismi factam tectam retinuerit, licet in aliis a nobis discrepet, baptismus æquè efficax est, quia (1) institutionem Christi servat, (2) Christus ministerium Phariseorum non rejicit, licet vitiis plurimis essent obnoxii, *Matth.* 23: 2.

Q. VIII. An baptismus à ministro ebrio administratus, pro vero & legitimo sit habendus?

Resp. 1. Si minister ille ebrius nihil mutaverit in substantialibus, non est quod de veritate baptismi dubitetur: nam efficacia baptismi non dependet a dignitate, intentione & devotione ministri, sed ab institutione Christi; minister tamen ille correptione est dignus, ob scandalum & neglectum officium.

2. Sin verò præ ebrietate aliquid omiserit, vel verba institutionis integrè & satis clarè non pronunciauerit, ut adstantes verba illa se percepisse negent, adeoque an infans rectè sit baptizatus dubitent, tum infans sobrio ministro ad baptizandum offerendus est; quia secundum Regulam Augustini: *non potest dici iteratum, quod nescitur esse factum*: minister autem ille, vel ab officio removendus, vel aliâ gravi pœnâ mulctandus est.

Q. IX. Rectenè parentes Christiani liberos suos, antequam baptizentur, gentiles appellare possint?

R. 1. Nihil vulgarius inter plebejos, dū paternos infanti petunt, quàm hisce uti verbis, (datus est à DEO gentilis, rogo ut ad christianismum eum promoveas.)

2. Ob peccatum originale & vitiosam nativatem, dici quidem potest infans ante Baptismum gentilis, *vel filius iræ*, Eph. 2: 3. abstinendū tamen esset ab illâ locutione: Ethnici enim alieni sunt à religione christiana, nec habent spem extranei à pactis promissionis, & expertes DEI in mundo, Eph. 2: v. 12. *vid. Quest. seqq.*

Q. X. Christianorum liberi nascuntur ne sancti?

R. Non possunt christianorum liberi vocari sancti, sanctitate *Legalī & Evangelicā*, quia nascuntur *filiī iræ*, Eph. 2: 3. Sed sanctitate *Ecclesiasticā* sancti dici possunt, quatenus illis patent media, ut fiant filii gratiæ, *Scil. per lavacrum regenerationis*, Tit. 3: 5.

Q. XI. An Judæi sint baptizandi?

R. 1. Simulant sæpè Judæi se velle christianam religionem suscipere, sed sæpè mera est hypocrisis, quia media salutis aspernantur, dum Christum diris devoent, ad ejus nomen exspuunt; hinc sunt sub maledictione, (*vid. Artic. II. de DEO, Sect. II. quæst. XXIII.*) pessimam vitam agunt, & qui simulant conversionem, rursus ad vomitum Judaismi redeunt, quod plurima exempla illorum hypocriseos comprobant.

2. Sed cum (1) S. Scriptura aditum ad Ecclesiam illis non præcludat, Rom. 11: 27. *seqq.* (2) Nonnullos in agnitâ veritate perstitisse constet, (3) *charitas omnia sufferat*, 1. Cor. 13: 5. *seqq.* (4) multi etiam ex christianis fiant apostatæ, ergo Baptismus illis non est denegandus, *conf. Ordin. Eccles. cap. III, §. X.*

Q. XII.

Q. XII. An non infantes exposititii sunt baptizandi?

R. (1) Cum nullo documento constet, infantem esse baptizatum, ergo sine morâ baptizandus est, (2) licet schedula sit affixa, infantem esse baptizatum, fœmina propudiosa non digna est, ut fides ei habeatur, quippe quæ peior est bestiis, fœtus suos foventibus, (3) magistratui incumbit in delinquentem inquirere, & infantem in Brephotrophiis ex publico honestè educare. *conf. Ordin. Eccles. cap. III. §. VII.*

Q. XIII. An notbi seu spurii baptizandi sint?

R. Aff. (1) ex *Job. 3: 5. & Ezech. 18: 20.* (2) quod *Deut. 23: 2.* prohibeantur ab Ecclesiæ ingressu, intelligitur de officio fungendo, non autem denegatur ipsis fieri membra Ecclesiæ, sic *Sap. 3: 15. seqq.* loquitur sapiens de spuriis, qui parentum vestigiis insistent, & de pœnis temporalibus. (3) De inquisitione Patris, *vid. Ordin. Ecclesiast. cap. III. §. XI.*

Q. XIV. An monstrosi sint baptizandi?

R. 1. Monstrosi, in quibus hujus vel illius membri deformitas apparet, quibus anima humana verè inest, sunt baptizandi, *Job.*

3:3. 4. 2. Monstra verò propriè & exquisitè sic dicta, in quibus nè quidem exterior species vel forma humana apparet, communicatâ re cum magistratu, (submotis parentibus) submoveantur. 3. Si membra principalia in monstroso hominem monstrant, baptizandus est, 4. si geminatam hominis speciem referat, licet inferiores partes, ut genua & pedes cohæreant, baptizandus uterque seorsim.

Q. XV. *An Zygarorum infantes sint baptizandi?*

R. De Zygarorum (seu Zeigianorum) infantibus, habetur sufficiens informatio S. Reg. Maj. tis *in Ordin Eccles. cap. III. §. IX.*

Q. XVI. *Cur DEUS aquâ voluerit baptismum administrari?*

R. Fit hoc 1. ad implenda vaticinia, *Esaï. 12: 3. & 44: 3. 4. Ezech. 16: 9. & 36: 25. 26. &c.* 2. Ut materia ad baptismum requisita, nemini non in promptu esset, *leg. Act. 8: 36. 37.* 3. Sicut Spiritus sanctus in prima generatione aquis incubabat, easque fovebat, *Gen. 1: 2.* ita DEO placuit in regeneratione aquam adhibere, *Job. 3: 3. 5. 4.* Christus aquâ baptizatus eam sanctificavit in lavacrum

vacrum regenerationis, *Matth. 3: 13. 16. Tit. 3: 5. 5.* Aqua erit pura & naturalis, non rosea vel alia medicata, multò minus vinum vel alius liquor, in gratiam infantis ejusque nobilioris stemmatis, sunt enim omnes *naturâ filii iræ, Eph. 2: 3.*

Q. XVII. An necessaria sit immersio, an verò sufficiat sola aspersio?

R. Pro aspersione pugnat 1. quòd neque Christus neque Apostoli uspiam mandarunt, ut Baptismus immersione peragatur, 2. Neque credibile est (1) Johannem B. in frequentia virorum & mulierum, vestibus exutis nudos Jordani immerfisse, *Matth. 3: 6.* (2) Neque Lydiam in domo sua, cum domesticis, *Act. 16: 14. 15.* (3) Neque *Act. 2: v. 41.* illos ter mille a Petro & Apostolis reliquis uno die in aquam immerfos, totoque corpore ablutos esse, 3. Circumcisio fuit efficax salutis medium, licet fieret in una parte, quidni Baptismus? 4. Infantibus præsentissimum periculum imminet ex totali immersione, præsertim in his regionibus borealibus, tempore hyberno.

Q. XVIII. An trina debeat esse aspersio?

R. Neque de hac speciale extat manda-

tum, sed mos in Ecclesia obtinuit, & apud nos servatur, ad adumbrandam S. S. Trinitatem; item typum sepulturæ Dominicæ, per quam Christo, qui tertia die a mortuis resurrexit, consepulti sumus in baptismo, ad mortis similitudinem, *Rom. 6: 4.*

Q. XIX. An infans, baptizatus sine nominis impositione, rebaptizandus sit?

R. 1. Nominis impositio in baptismo est necessaria, sicut in circumcissione, *Luc. 1: 59.* Non quasi ad substantiam baptismi pertineat, sed quasi concomitans baptismi.

2. Est nominis impositio tessera Christianismi, & nobis solamen, (1) quòd simus in gratia apud DEUM, (2) quòd nostra nomina DEO nota, *Exod. 33: 12.* Sic novit Christus nomina suorum, *Job. 10: 3,* & in manu DEI scripta sunt, *Esaj. 59: 15. 16.*

3. Non tamen infans propter neglectum nomen in baptismo, rebaptizandus est; sed in templum importandus, &, prævia præsentium informatione, nomen ei publice imponendum est.

Q. XX. At si masculino nomen fœmelle, & vice versa, in baptismo impositum fuerit?

R. Ex quæst. præced. Si aliàs Baptismus est re-

est recte administratus, ferendus est infans in templum, & in Præsentia Ecclesiæ, nomen publice mutandum, ut pro Johanne, Johanna; pro Christiano, Christiana; pro Benedicto, Benedicta; & vice versa substituatur, &c.

Q. XXI. Quo tempore & loco Baptismus peragi debeat?

R. 1. Certum tempus præscribi non potest, sed quò citiùs baptizantur infantes, eò melius ipsis consulitur

2. Cum sit actus sacer, præstat in publico Ecclesiæ cœtu baptismum administrari; sed necessitate ita urgente, præcipue si infirmior sit infans, potest etiam in ædibus privatis fieri, *leg. Act. 9: 17. 18. conf. Ordin. Eccles. cap. II. §. II. III.*

Q. XXII. Quid de salute infantum, qui à matribus ante baptismum jugulantur, censendum est?

R. ex Quest. VI. Num. 3.

Q. XXIII. Quid de salute infantum Judæorum & Turcarum judicandum?

R. Judæorum, Turcarum, & aliorum extra Ecclesiæ pomœria constitutorum parentum liberos, actu salvandos esse, certò as-

ferere non audemus; neque tutò actu damnandos esse, asleverare possumus, 1. Cor. 5: 12, 13. Sed Dei iudicio illos committimus, cum timore dicentes, ex Rom. 11: 33-36, *ò altitudo divitiarum &c.*

SECTIO II.

DE BAPTISMI CEREMONIIS: EXORCISMO, Patrini, &c.

Q. I. *An verba in baptismi precibus: & quæ ipse fecit (sc. peccata) sine usurpanda, cum infantes actualiter non peccaverint?*

R. Aff. quia licet de infantibus dici non possit, illos ex proæresi & destinato proposito peccare, interim cum radix peccati originalis non sit otiosa, inscii peccant, cujus iudicium est fletus ex impatientia, &c.

Q. II. *An Exorcismus in nostris Ecclesiis sit retinendus?*

R. Exorcismus non est pars baptismi, sed ceremonia liberrima, & est (1) pictura summæ tyrannidis Diaboli, cui subjectus est missellus infantulus, quàm diu est extra regnum Christi, (2) est ereptio hominum e potestate tenebrarum, & in regnum Dei translatio, Col. 1: 12, 13. (3) Est pictura efficacis bapti-

baptismi, *Tit. 3: 5.* (4) Confirmatio liber-
tatis Christianæ, *Gal. 2: 4. 5.* (5) Admoni-
tio de redemptione per Christum factâ, qui
fortem armatum expugnat, *Luc. 11: 21. 22.*

2. Et cum sit ceremonia, cui aliqua ef-
ficacia spiritualis non est tribuenda, ergo
ex libertate Christianâ potest vel retineri,
vel omitti, sed non proprio ausu; Ecclesia
autem, quæ eum omittit, non damnet e-
am, quæ eundem usurpat, & vice versâ *leg.*
Gal. 5: 2.

Q. III. *An signatio crucis in baptismo sit
adhibenda?*

R. Est ceremonia, quâ veteres usi sunt,
signando in fronte & pectore, in testimo-
nium regenerationis & receptionis ad vi-
tam æternam, quæ infanti baptizato contin-
git, *solius Christi crucifixi merito*; monet
etiam nos, infantem recipi in numerum il-
lorum, qui nihil sciunt, aut scire volunt,
nisi Christum crucifixum, *1. Cor. 2: 2.*

Q. IV. *Quid de induitione vestis candidæ,
item de aquâ lustrali?*

R. Utraque hæc ceremonia, carens fun-
damentis Sacræ Scripturæ, unâ cum religi-
onæ Pontificiâ jam exulavit.

Q. V. An Scur pii & orthodoxi tantum patrini sint adhibendi?

R. I. Sacra Scriptura nos dehortatur a conversatione, amicitia & familiaritate impiorum, 2. Cor. 6: 14. nolite jugum trahere cum infidelibus, conf. 1. Cor. 5: 11.

2. Usus patrinorum est (1) ut sint testes baptismi legitimè collati. (2) Ut precibus DEO infantem commendent; quomodo invocabunt, in quem non credunt? Rom. 10: 14.

(3) ut sint fidejussores infantis, cujus nomine abrenunciant Satanæ, & fidem Christianam profitentur; sed impiis hæc non sunt curæ. (4) Ut sint compatres, h. e. adjuutores parentum, & post obitum propatres, & vicarii in educatione infantis, in illâ fide, de quâ loco ejus responderunt; sed quæ pietas in sceleratis.

3. Dedecori est & parentibus, epicureos adsciscere patrinos, & infantibus tales habere susceptores.

4. Periculum est, nè Orphani, post parentum obitum, à dissolutæ vitæ hominibus corrumpantur, & ad falsam religionem seducantur.

Q. VI. An Pastor hereticum, blasphemum, adulterum, &c. impœnitentem, ad patrinatus officium admittere possit? Resp.

R. Neg. 1. Ex gravi prohibitione Apostoli, 2. Cor. 6: 14. 15. *nolite jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio justitiæ cum infidelitate &c.*

2. Ex seriâ inficiatione S. R. Majestatis in Ordin. Ecclesiast. cap. III. S. V. conf. Quest. preced. V.

Q. VII. *An quis rogatus ad officium patrini, alium possit substituere, eumque Pastor admittere teneatur?*

R. 1. Si negotia maximè necessaria impediunt, & absentia non oriatur ex contemptu verbi divini & Sacramentorum, potest quis alium licitè substituere, quem Pastor admittere tenetur.

2. Sin verò excusatio non sit adeo prægnans, sed prætextus, quia pauperiores sunt parentes, admonendus est, ut in honorem tanti Sacramenti adesse dignetur.

(B) DE SACRA COENA.

Q. I. *An veri christiani sint, qui rarò aut nunquam ad S. Cœnam accedunt?*

R. Neg. Quia (1) soli illi sunt Christiani, qui voci Christi obediunt, Job. 10: 14. non qui media illa negligunt, quibus fides languida

gvida confirmatur, remissio peccatorum confertur, & promissio vitæ æternæ obfignatur, (2) Sacra Cœna instituta est in memoriam passionis & mortis Christi; sed quales illi Christiani, qui non meditantur passionem sui Salvatoris? 1. Cor. II: 26. (3) qui sæpius S. Cœnam usurpant, in iis charitas erga salvatorem crescit: quò majus est beneficium, eò major erit dilectio erga benefactorem. Luc. 7: 41-47. (4) Contemptores autem hujus Cœnæ mandatum Christi spernunt, Job. 15: 14. & scandalum dant junioribus & infirmis, quod omninò cavendum, Matth. 18: 6. conf. Ord. Eccles. cap. XI. II. & Art. XIII. Sect. III. de clave solv. Q. XV.

Q. II. An Contemptor S. Cœnæ ad officium patris admittendus?

R. Neg. quia I. Contemptor S. Cœnæ annumerandus est impiis & epicureis, cum quibus civilis conversatio est illicita & prohibita, 1. Cor. 5: 11. quomodo ergo ad officia sacra sunt admittendi? (2) aliàs colludere cum illis videremur, cum tamen omnis species mali vitanda est.

Q. III. An aliquis cogi possit ad usum S. cœnæ?

R. Vid. Præcept. Tertium, Q. V. & Art. X. de fide, Q. VIII. Q. IV.

Q. IV. *Qualem presentiam sanguinis Jesu Christi in S. Cœna statuat credatque Ecclesia Lutherana?*

R. Ecclesia Lutherana statuit creditque in S. Cœna corporis & sanguinis Christi, *νόσιν* cum Calvinianis, non *μετσίαν* cum Pontificiis, non *συνσίαν* nec *ένσίαν*, quam falsò illi affingunt adversarii, sed *παρσίαν*, *veram, realem & substantialem presentiam, in, cum, & sub* elementis visibilibus pane & vino, quâ juxta ipsius salvatoris institutionem, modo soli DEO cognito, nobis vero incomprehensibili, pani eucharistico, tanquam medio divinitus ordinato, corpus Christi verè, realiter & substantialiter præsens; vino quoque eucharistico sanguis Christi itidem verè, realiter & substantialiter præsens unitur, ut cum illo pane verum Christi corpus, & cum illo vino verum Christi sanguinem in sublimi mysterio sumamus, manducemus & bibamus. *leg. 1. Cor. 10: 16. 17.*

Q. V. *Qualis ergo est unio Christi cum piis communicantibus?*

R. Soli Patri unitus est Christus *ἑστωδός* juxta divinitatem, quia *Pater & filius unum sunt*, *Job. 10: 14.* soli assumptæ humanæ naturæ

turæ unitus est ὑποστυτικῶς, quia *verbum caro factum est*, Job. 1: 14. Hebr. 2: 16. Solis pijs unitur μουσικῶς, verbo, fide & spiritu, nec non digno Sacramentorum usu, Job. 14: 23. Eph. 3: 17, idque modo sibi soli cognito, nobis vero imperscrutabili, qui ob id vocatur μουσηριον, Eph. 5: 32. *conf. Art. XIII. de Ecclesia, Q. VI.*

Q. VI. Quid de consecratione eucharistica piè tenendum?

R. Consecratio est, quâ Ecclesiæ minister ante communionem, nomine Christi, ad mandatum & promissionem ejus divinam, repetitis primæ institutionis verbis, elementa panis & vini à communi suo usu segregat, eaque ad mysticum usum elevat, ut virtute Christi, in communionem, panis verè corporis Christi, & vinum verè sanguinis Christi distribuendi sit κοινωνία, (1. Cor. 10: 16, 17.) estque primus actus in sublimi hoc mysterio; dicitur aliàs εὐχαριστία; secundus est δέσις Panis & corporis Christi, vini & sanguinis Christi distributio; Tertius est, ipsa λήψις, Panis & corporis Christi manducatio, vini & sanguinis Christi bibitio.

Q. VII. Quid de fractione panis in S. Cæna sentiendum est? Resp.

R. *Fractio Panis* in ipsa Cœna Domini-
ca est actus *indifferens*, non enim illa in
primitiva Ecclesia, semper uno eodemque
modo est frequentata.

Q. VIII. *An uniformitas panis in hoc sacra-
mento semper & ubique sit necessaria?*

R. 1. *Forma panis eucharistici* potest esse
respectu qualitaturn internarum vel *azymus*,
vel *fermentatus*, respectu externæ figuræ,
potest illa esse, vel *rotunda*, vel *quadrata*, vel
oblonga.

2. In nostris Ecclesiis *azymus* adhibetur,
non ex ulla necessitate, sed liberè: & Chri-
stus eo usus fuit in institutione Cœnæ,
Matth. 26: 26. conf. Levit. 23: 6. & panis Eu-
charistici typus fuit panis *azymus*, qui in esu
agni Paschalis usurpabatur, *Exod. 12: 8.*

Q. IX. *An gratiarum actiones & preces præ-
sertim oratio Dominica verbis institutio-
nis addi debeant?*

R. 1. Christus gratias egit in prima ad-
ministratone, *Matth. 26: 26.* & Paulus; *mor-
tem Domini annunciare jubet eos, qui ex hoc
pane & vino manducant & bibunt, 1. Cor.
11: 26.*

2. Baptismi administrationi gratiarum a-
ctiones

ctiones, preces & exhortationes conjunguntur.

3. Et communioni commonefactiones & preces præmitti, nec non oratio Dominica verbis institutionis subjungi solet.

Sed 4. negamus has gratiarum actiones & preces quocunq̄ veniant nomine, ad ipsius consecrationis *συστάσις* pertinere; sed conducere ad manducantium ædificationem; ut animus eorum præparetur, Zelus devotionis excitetur, & communicantes ad tantum mysterium dignis modis suscipiendum, magis idonei reddantur. *conf. Sect. III. Q. I.*

Q. X. At si minister in consecratione unam partem verborum institutionis per incuriam omiserit?

R. In dispensatione S. Cœnæ non tantum communicantium, sed & dispensantium religiosa attentio requiritur; Ergo minister ille gravi animadversione est dignus, & veniam à DEO & Ecclesia petat, & cum comminatione totalis remotionis, si sæpius deliquerit, ei condonari potest.

Q. XI. Quid, si in administratione priori loco sacrum calicem, postea sacrum panem quasi nimia attentione aliò raptus, porrexerit?

R. I. Ecclesiæ minister, ordinem a Christo præ-

sto præscriptum pervertens, graviter lapsus est, peccatum suum coram Ecclesia confitebitur, veniamque à DEO & hominibus poscet, *conf. Q. preced.*

2. Communicantes autem consolatione erigendi, si mortem Domini annunciarint, se rem & fructum sacramenti percepisse. *vid. Ord. Eccl. cap. XI. §. X. circa medium.*

Q. XII. An elementa, panis & vinum, post consecrationem allata, de novo sint consecranda?

R. Aff. 1. Quia panis & vinum à vulgari usu sunt separanda, ut sint media salutaria, quibus corpus & sanguis Christi communicantibus porrigantur.

2. Tacite ergo elementa panis & vinum post consecrationem allata, a ministro sunt consecranda, *vid. Ordin. Eccl. cap. XI. §. X.*

Q. XIII. An Laici rectè S: Cœnam sub utraq; specie accipiant?

Resp. Aff. 1. Ex institutione Sacramenti, in quâ Christus non saltem panem cum corpore, sed & vinum cum sanguine sumendum præcepit. *Conf. 1. Cor. II: 26.*

2. S. Eucharistia est Testamentum morte Christi confirmatum, quod nemo spernit

aut mutat, *Gal. 3: 15.* & cum quilibet pius sit hujus testamenti hæres, omni etiam parte legati merito fruitur.

3. Solatium præcipuum præbet usus calicis; quia ex illo bibimus sanguinem, *qui pro nobis effunditur in remissionem peccatorum, Matth. 26: 28.*

4. Commemoratio mortis Domini integrè fieri nequit, ni accipiatur totum Sacramentum, quia mors Christi per unam speciem integrè non significatur.

5. Rectius itaque ab usu Eucharistiæ prorsus abstinetur, quam si mutila accipiatur.

Q. XIV. Quid factò opus est homini, ut ad S. Cenam dignè se præparet?

R. Apostolus *1. Cor. 11: 26. seqq.* quatuor requirit
 1. *δοκιμασίαν*, v. 28. est autem *δοκιμάζειν*, accuratè explorare, & singulari studio inquire in seipsum, an videlicet se peccatorem agnoscat, de peccatis doleat, an Jesum corpore suo & sanguine juxta promissionem adesse credat, an fide in Jesum se erigat, an immota stat sententia vitæ in melius mutare?

2. Sui ipsius *διάκρισιν*, v. 31. est a. *ἐαυτὸν διακρίνειν*, ex animo fateri, se esse reum judicij divini & mortis æternæ.

3. *Διάο*

3. Διακρῆσιν Corporis Domini, v. 29. quod sit corpus ipsius Dei, in quo habitat plenitudo divinitatis. Col. 2:9. quod bajulavit peccata mundi, quod dolores nostros portavit, Esa. 53:4-6. quod qui dignè edit, non moritur in æternum, sed resuscitabitur in die extremo ad vitam æternam, Job. 6:54.

4. Καταγγελίαν, v. 2.6. (& ἀνάμνησιν, Luc. 22:19.) hoc enim est mortem Domini annunciare, non tantum lingua & labiis, mortem quam sustinuit, laudare, celebrare, & de ea gentias agere DEO, sed & peccatis valedicere, & in novitate vitæ ambulare, hac permoti morte, Rom. 6:1-4. 2. Cor. 5:15. Hebr. 10:29.

Q. XV. Quomodo ille erigendus, qui à Satana vexatur, quod indignè ad S. Cœnam accesserit?

R. (1) Consideret vexatus, dignitatem non consistere in propria justitia, sanctitate, devotione, pietate; sed in solo Jesu Christo, si enim homo per se dignus esset, gratia non egeti, offerenda ergo DEO anima pura, humilis & esuriens; (2) Diaboli vexationibus vera fide resistendum est, 1. Pet. 5:9. Conf. Art. V. de Angelis, Sect. III. Q. III.

Q. XVI. Quomodo iuvandus sit, qui animo angitur quod post Sacra Cœna usurpationem vitam non emendaverit, & in peccata prolapsus sit?

Resp. Huic inculcandum, neminem in hac vita perfectè sanctum esse, & peccata nobis adhærere usque ad extremum vitæ spiritum, & nova peccata nova indigent gratia. *Misericordia Domini quovis diluculo nova est, Thren. 3: 23.* ipsi Apostoli statim post acceptionem S. Cœnæ graviter peccarunt, a Christo aufugerunt: præcipue Petrus, qui Christum abnegavit, *Matth. 26: 72. sed resipiscens v. 75. in gratiam receptus est, Marc. 16: 7.*

Q. XVII. Quid censendum de illius salute, qui post S. Cœnæ usum animam suam DEO commendat, & se suspendit?

Resp. Quod si Melancholia & mentis alienatio supervenit, tunc ex charitate Christiana ex antea facta vita judicandum; si ex mala conscientia mortem sibi conscivit, vitæque ejus antea facta fuit impia, præsumitur ipsum in desperatione obiisse, *Conf. Art. XI. de Præcepto V. Q. XVIII.*

SECTIO II.

DE ADMITTENDIS ET NON ADMITTENDIS AD S. COENÆ COMMUNIONEM.

Q. I. *Quinam ad S. Coenam sint admittendi, & quinam ab eâ arcendi?*

R. 1. Ad S. Coenæ communionem admittendi sunt soli Christiani, qui Ecclesiae Orthodoxae vera membra sunt.

2. Excluduntur autem hac S. Coenæ communionem (1) omnes *Pagani, Turcae, Judaei*, nisi convertantur.

(2) Omnes *haeretici*, qui dicuntur canes, *Phil. 3: 2.* quibus sanctum dispensari nequit, *Matth. 7: 6.* Sed errantes ex infirmitate, si parati sint meliora sequi, humaniter sunt corrigendi. *Gal. 6: 1.*

(3) *Peccatores notorii*, de quibus nulla spes emendationis restat, *Matth. 7: 6, 1. Cor. 5: 6, 7. 1. Tim. 5: 22, conf. Ord. Eccl. cap. XI. §. VI.*

(4) *Excommunicati*, *Matth. 18: 17.* nisi doleant de peccatis, & reconciliationem cum Ecclesia ineant, *vid. ordin. Eccl. cap. VIII. §. III.*

(5) *Continuò obsessi & dementes*, qui nec se ipsos probare, nec corpus Domini dijudicare possunt, *vid. ord. Eccl. cap. VIII. §. III.*

(6) Personæ infames, ut magi, nigromantici, item gladiatores ad mortem usq; pugnantes, & horum similes, ni seriam agant pœnitentiam.

Q. II. An minister Ecclesiæ hominem non satis integræ famæ, ad S. Cœnam accedere volentem, alloquatur, quòd publicè malè audiat?

R. Aff. Licet minister Ecclesiæ non satis constet, an rumor iste sit verus vel vanus; potest tamen ipsum, de quo rumor spargitur alloqui; exemplo Christi approbantis, dispensatorem ob malam famam in jus esse vocatum, *Luc. 16: 1. 2. & Pauli, 1. Cor. 5: 1. & II: 18. vid. Art. XIII. Sect. III. Q. VII. & XI.*

Q. III. An talis diffamatus, non dum satis convictus, propter suspiciones, & sparsum rumorem, a S. Cœna sit suspendendus?

R. Neg. Quia I. DEUS seriò mandat, nè nudis suspicionibus fidem habeamus, sed bonæ fidei testibus, ad minimum duobus vel tribus, *Deut. 19: 15. 16. Matth. 18: 16. conf. Syr. 19: 6-17.*

2. DEUS solus est *καρδιογνώστης, Act. 1: 24.* & intuetur cor, *1. Sam. 16: 17.* judicat occulta, *Rom. 2: 16.* itaqve maneant ministri Ecclesiæ intra ea, quæ vident, & interiores animorum

morum recessus DEO relinquant, qui consilia cordium aliquando manifestabit, 1. Cor. 4: 5.

3. Christus ipse Judam admisit, quia proditio corde quidem concepta erat, non tamen opere completa, & soli Christo, sed non alteri nota, ne dum publicè nota.

4. Ut autem Ecclesiæ minister suæ & difamati conscientiaë consulat, paternè eum moneat, *ut det DEO gloriam. & confiteatur delictum*, (Job. 7:19.) petatque propter Christum illud sibi remitti, ac serium emendandæ vitæ propositum habeat; admonitioni si paruerit, & peccatum confessus fuerit, à S. Cœnâ non erit arcendus.

Sin neget, & ad purgandum sese offerat, à sacro epulo non erit rejiciendus, sed propter constantem facti negationem, post tot monita iteratam, admittendus; *conf. ordin. Eccl. cap. 8. §. IV.*

Q. IV. *An facinorosis, præter pœnam politicam, etiam Ecclesiastica rectè irrogetur, antequam ad S. Cœnam admittantur?*

R. Aff. I. Maleficus non priuatos saltem, sed totam Ecclesiam læsit scandalo: scandalum autem illud non potest alio medio, quàm publicâ deprecatione tolli.

(2) *vid. Art. XIII. Sect. III. de Clave Ligante, §. IV.*

Q. V. An qui litigant in foro, ad S. Cœnam sine admittendi?

R. Dist. vid. Art. XIII. Sect. III. Q. XIV. & ordin. Eccles. cap. XI. §. III. IV.

Q. VI. An admittendi sint, qui per S. Cœnam suam saltem innocentiam probare volunt?

Resp. Neg. Quoniam 1. S. Cœna non est instituta, ut sit innocentiae testificatio, sed ut sit fidei confirmatio; Non ad externum commodum, sed ad commemorationem mortis Domini, 1. Cor. II: 26.

2. Nihil roboris habet talis innocentiae probatio, quia multi indignè accedunt, qui ex Sacra hac Domini mensa, pallium nequitiae faciunt, quorum hypocrisin Deus aliquando manifestabit, 1. Cor. 4: 5. Conf. ordin. Eccles. cap. XI. §. II.

Q. VII. An abstemiis sub unâ specie, nimirum pane sit communicandum?

R. Neg, 1. Sacra Eucharistia sub quocunq; etiam prætextu non est mutilanda, cum calix sit Sacramenti pars essentialis.

2. Monendi sunt abstemii, ut (1) acquiescant

escant in necessitatis casu, in manducatione corporis & bibitione sanguinis Christi Spirituali, de qua, *Joh. 6: 53. seqq.* (2) celebratione hujus epuli cum desiderio illud usurpandi crebrius intersint, & (3) mortem Domini jugiter annuncient, *1. Cor. 11: 26.*

Q. VIII. An infantibus porrigenda sit S. Cœna?

R. Dist. Si pervenerint infantes ad illos discretionis annos, ut possint se probare, & mortem Domini annunciare, (*quid autem sit vid. Sect. I. Q. XIV.*) ad sacrum hoc epulum sunt admittendi; sin secus, ab eo arcendi. *leg. Ordin. Eccl. cap. VIII. §. III. circa med.*

Q. IX. An surdi & muti Sacra Cœna rectè uti possint?

R. Vid. Art. XIII. Sect. III. Q. XVII.

Q. X. An S. Cœna administranda sit illis, qui capitali supplicio sunt affiendi?

R. Capitali supplicio destinatis, verè pœnitentibus & id eflagitantibus, omninò sacramentum Eucharitiæ est dispensandum: *vid. optimè diducentem Ord. Eccles. Cap. XVII. §. IX.*

Q. XI. An alterius Ecclesie Pastori liceat admittere eos, qui ex aliâ Ecclesiâ adveniunt?

R. Neg. Quia 1. Quilibet Ecclesiæ minister uni & certæ Ecclesiæ datus est; hanc curet, alias sui Pastoribus relinquat. *Attendite gregi, qui vobis commissus est, 1. Pet. 5: 2. Act. 20: 28.*

2. Πολυπραγμοσύνη & ἀλλοτριεπισκοπή inter enormia delicta recensentur, 1. Pet. 4: 15.

3. Severè prohibetur eadem ἀλλοτριεπισκοπή Reg. Ordin. Eccl. cap. XI. §. XI.

Q. XII. An extra casum necessitatis S. Cœna alibi, quàm in publico cœtu administrari debeat?

R. Neg. quia 1. Privata Cœnæ usurpatio usui hujus sacramenti adverstatur, nam hoc sacramentum est certum judicium & signaculum coalitionis multorum in unum corpus mysticum, 1. Cor. 10: 17.

2. Dicitur hoc sacr. Sacramentum altaris: & in Ordin. Eccl. cap. XI. §. VIII. jubetur, panem & vinum adferri & in altari ante consecrationem deponi.

3. S. Cœna dicitur σύναξις, ad indicandam pluralitatem convenientium & illâ utentium.

4. Apostolus disertè mandat, ut Cœna in congressibus publicis celebretur, 1. Cor. 11:

18. 20. 21. 22. & nè deserant ἐπισυναγωγὴν ἐ-
αυτῶν, Hebr. 10: 25.

5. In publico cœtu administrari S. Cœ-
nam necesse est, ut notentur ejus contemto-
res, qui rarissimè vel nunquam ad eam ac-
cedunt.

6. Et quod maximum est, ex devotione piè
communicantium excitantur omnes pii ad
manducationem spiritualem, de quâ Job. 6:
53. seqq. quò respicere videtur S. R. Maj. tas
in ord. Eccl. prohibendo discessum è templo ante
celebratam S. Synaxin cap. XI. §. XII. ubi et-
jam seriò mandatur, in templo sacrum hoc e-
pulum esse sumendum, conf. Sect. I. 2. I.

SECTIO III.

DE CEREMONIALIBUS QUIBUSDAM S. COENÆ, & missæ,

2. I. An & cur oratio Dominica in Conse-
creatione recitanda?

R. Christus in S. Cœnæ institutione gra-
tias egit, & ut idem faciant Ecclesiæ mini-
stri, addidit: *hoc facite*, fortè orationem
Dominicam non recitavit, nam orationem
quintam, *demitte nobis debita nostra*, non po-
tuit orare, nisi fortè loco nostri, quorum
peccata tulit, Esaj. 53: 4. s. vid. Sect. I.
2. IX.

2. II.

Q. II. Cum elementa panis & vinum, post consecrationem allata, sint de novo tacite consecranda, vid. Sect. I. Q. XII. an etiam oratio Dominica sit tacite recitanda?

R. Neg. Quia gratiarum actiones & preces non pertinent ad consecrationis σύστασις vid. Sect. I. Q. IX. num. 4.

Q. III. An in administratione, verba illa: Corpus (Sanguis) Domini IESU Christi custodiat te ad vitam æternam, cuilibet communicanti dicenda sint?

Resp. Aff. Quia hæc formulæ, licet non requiratur ad essentiam sacramenti, utilis tamen est, 1. Ad commonefactionem, dum communicantes pie commonefacit, nè cogitationibus suis hinc inde vagentur, sed hoc agant, summâ adhibitâ attentione ad epulum non commune, sed sacramentale & planè mysticum habendum, 1. Cor. II: 29.

2. Ad Consolationem, dum unusquisque in individuo jubetur edere illud corpus, quod pro se est traditum, & bibere illum sanguinem, qui pro se est effusus in remissionem peccatorum, Luc. 22: 19. 20.

3. Ad Distinctionem; nam hujus formulæ usu, segregamus nos a Calvinianis, quibus
ejus-

ejusmodi formulæ fudes sunt in oculis & intolerabiles. *Conf. Ordin. Eccl. Cap. XI. §. X.*

Q. IV. Quid de veste albâ, quâ induuntur V. D. ministri sub administratione, judicandum sit?

Resp. Est quidem ritus ἀδιάφορος, sed longo temporis tractu usurpatus, & (1) inseruit ad discernendos V. D. ministros ab aliis, (2) est illis ornamento, & (3) Sæpè etiam pauperum ministrorum squalidas & laceras vestes coram populo tegit, *Conf. Ordin. Eccl. Cap. XI. §. X. ab initio.*

Q. V. Quid de genuflectione communicantium statuendum?

R. Est Ceremonia exterior sive corporalis, indigitans venerationem interiorem sive spirituales, nempe fidei: qua veneratione, etiam pii spectantes, ad majorem devotionem excitantur.

2. Alias de geniculatione, *leg. Psal. 22: 30. & 95: 6. Esa. 45: 23. &c.*

Q. VI. An jejuno stomacho sacrum hoc Epulum sumendum?

R., 1. Aff. Quia hoc postulare videtur Devotio & Sacræ hujus Cœnæ desiderium; *leg. admonitio Apostoli, 1. Cor. 11: 21, 22.*

2. *Ægro-*

2. Ægroti tamen, prægnantes & senes decrepiti, non ita obstringuntur, si jejunare nequeant.

Q. VII. Quoties in Anno ad Sacram Cœnam accedendum?

Resp. 1, Scilicet quotiescunque desiderium hujus sacri epuli sentimus, & nos dignè præparatos scimus, sive hoc singulis mensibus, sive singulis anni quadrantibus fiat.

2. Peccant ergo graviter, qui toties non utuntur sacro hoc epulo, quoties se pondere peccatorum premi sentiunt.

3. B. Luth. in præf. cateches. min. non agnoscit eum hominem Christianum, qui sacrâ Cœnâ ter aut quater non utatur quotannis.

4. Vid. hæc fusius diducta, Sect. I. Q. I.

Q. VIII. Quid cum Pane & Vino benedicto residuo, agendum?

Resp. 1. Remanens Panis in futurum Cœnæ usum reservandus est, & cum alio consecrandus: vinum residuum, si plusculum non sit, detur ultimo communicanti, vel admisceatur alii vino, sed ad communionem destinato, ut ab usu profano bene segregetur: & cum consecratio & sumptio conjungi debeant, ideoque benedictio repetenda erit.

2. Sum-

2. Summoperè autem cavendum, nè Sacra hæc elementa à magis & sagis abripiantur, quibus illi & illæ ad superstitiones abutuntur, *monente S. R. Maj. in ordin. Eccl. Cap. XI. §. X. circa fin.*

Q. IX. *An repositio, circumgestatio ac adoratio panis eucharistici, sit approbanda?*

Resp. Neg. quia 1. Christus dixit ad discipulos, *edite, bibite, non vero includite, reponite.*

2. Destituitur hæc ἐθελοθρησκεία mandato & exemplo divino, praxi orthodoxâ inducit idolatriam, & finem hujus sacramenti evertit.

Q. X. *An Cœna Domini in missæ sacrificium sit rectè transformata?*

Resp. Neg. quia 1. Missa pontificiorum est purum putum figmentum, S. Scripturæ in cognitum, adversum & contrarium, & nihil aliud quam ἐθελοθρησκεία, de quâ *Matth. 15: 9.* imò abominatio *Mausim* Antichristi (quæ vox alludit ad *missam*) *Dan. 11: 38. 39.*

2. Missam vocant sacrificium, quod maxime differt à sacramento S. Cœnæ namque (1) in S. Cœnâ Deus nobis aliquid dat, in sacrificio missæ dicunt, nos Deo quiddam offerre. (2) Cœna Domini testatur, nos plenam habere remissionem peccatorum, propter uni-

unicum Christi sacrificium in cruce semel peractum, missa negat vivos & mortuos habere remissionem peccatorum, nisi Christus quotidie per sacrificulos offeratur. (3) Cœna Domini instituta est solum pro vivis; missam celebrant Pontificij etiam pro mortuis, &c. &c.

Q. XI. *An quis nostrum bonâ Conscientiâ possit missæ pontificiorum interesse?*

Resp. Neg. quia in eâ sunt meræ abominations & ludibria,

ARTICULUS XV.

DE JUSTIFICATIONE.

Q. I. *Quomodo contra adversarios firmanda sit pbrasis illa: solâ fide justificamur?*

Vid. Articulus X. De Fide, Q. I. & II.

Q. II. *Quomodo justificati de suâ perseverantiâ certi esse possint?*

Resp. 1. De hâc perseverantiâ certi esse possumus *ex parte Dei*; bonum enim opus, quod incepit, certò pro gratiâ suâ confirmabit; (2) *ex parte nostra*, si indefessis & ardentibus precibus aliisque fidei exercitiis vocationem nostram firmam reddamus.

2. Conf. quæ de perseverantia in fide dicta sunt, in Art. V. De Ang. Sect. IV.

Q. VI.

Q. III.

Q. III. *Quibus mediis justificati in unione cum Deo conserventur?*

R. Media, quibus peragitur & conservatur hæc unio, sunt quatuor: 1. Verbi auscultatio & observatio, *Job. 14: 23. qui me diligit, sermonem meum servabit, &c.*

2. Sacramentorum usurpatio, *Gal. 3: 27. quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis. Joh. 6: 56. qui edis carnem meam, in me manet, & ego in eo.*

3. Fides, *Job. 17: 20. 21. rogo ut qui credituri sunt in me, unum sint, sicut tu Pater in me, &c.*

4. Spiritus sancti communicatio, 1. *Joh. 4: 13. in hoc cognoscimus, nos in ipso manere, & ipsum in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis.*

Q. IV. *An DEUS omnibus, omni loco & tempore, suam gratiam ad conversionem sufficiente adesse velit?*

R. 1. Disting. inter eos, quos DEUS ad respicientiam gratiam suam sæpius vocavit, quæ DEO ex merâ contumaciâ restiterunt, & quò ille blandius invitavit, eò pertinacius illi reluctati sunt; quibus ex justo suo judicio gratiam demum subtrahit, *Psal. 81: 12. 13. Prov. 1: 24. Jer. 11: 9. seqq.*

2. Et inter eos, qui sæpius quidem peccarunt, sed ex infirmitate humanâ; his respicientibus gratiâ suâ promptus & paratus est DEUS quovis loco & tempore, *Matth. 11: 28. Apoc. 3: 20.*

Q.V. An pari gratiâ DEUS omnibus peccatoribus subveniat, ut convertantur?

R. 1. Communiter distingvi solet gratia DEI in sufficientem & fructuosam; *illam* stabilunt clara S. Scripturæ dicta, *Prov. 1: 24. 25. seqq. Esaj. 5: 1. 2. 3. 4. Matth. 23: 37. &c.* & hanc similiter diserta S. Scripturæ effata suffulciunt, *Matth. 8: 15. Act. 2: 36. 47-2. Thess. 2: 13-17.*

2. Hæc autem gratiæ DEI divisio, non est in distinctas species, sed est una eademque gratia, quæ, à diverso eventu, diversas sortitur nomenclationes.

3. Cum Verbo DEI seu externa verbi prædicatione, semper conjuncta est interna Spiritus sancti operatio, *leg. Rom. 1: 16. Evangelium est potentia DEI ad salutem omni credenti. 1. Thess. 1: 5. Evangelium nostrum non fuit inter vos, εν λόγω μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει καὶ πνεύματι ἁγίῳ.*

4. Quod autem omnes sufficiente hac gratia

gratia & Spiritus sancti internâ operatione non convertantur, *in causa* est, quod Spiritui sancto resistent, *Act. 7: 51. vid. 2. IV. num. 1.*

5. Quod DEUS quosdam abundantî gratiâ in conversione conveniat, ut *Paulum, Zachæum*, &c. id pro suâ sapientiâ, beneplacito & libertate facit, *leg. Matth. 20: 15. Rom. 11: 33. seqq.*

Q. VI. *An veri Christiani possint esse certi de gratiâ Dei?*

R. Aff. Quia (1) verè fideles habent pacem cum DEO, & indè gloriantur in spe filiorum DEI, *Rom. 5: 1. 2.* (2) Spiritus S. confirmat & obsignat remissionem peccatorum in cordibus fidelium, *Rom. 8: 15.* (3) promissiones divinæ, quibus innitimur, sunt indubitatae veritatis, *Hos. 2: 19. 20.* (4) Sacramenta, velut sigilla, obsignant in nobis gratiam DEI, *1. Pet. 3: 21.*

Not. (1) Quod hæc certitudo sit fiducia-
lis, non temeraria præsumtio. (2) Quod timor filialis non tollat certitudinem gratiæ & justitiæ.

Q. VII. *Sunt ne ergo certa aliqua indicia, ex quibus homo possit colligere, quod justus sit coram Deo?*

R. Dari possunt, *propria miseria agnitio*; nemo enim justificatur, nisi peccata sua agnoscat, & morte æternâ se dignum fateatur; sic justificatus est Publicanus, qui nihil sibi, sed unicè Misericordiæ Dei tribuit, *Luc. 18: 13. 2. Fiducia in Christum, Phil. 3: 7. 8. 9. 3. Gaudium & pax in spiritu Sancto, Rom. 5. 1. 4. Studium bonorum operum, Jac. 2: 14. Conf. 2. Cor. 13: v. 5. Vosmet ipsos probate an sitis in fide, &c.*

SECTIO II.

DE BONIS OPERIBUS

Justificamur per fidem in Christum, ut novam vitam vivamus, & bonis operibus sedulò studeamus: Ergo h. l.

Q. I. *An & quomodo Bona opera sint necessaria ad salutem?*

Resp. 1. Distingvendo *inter necessitatem Causa & consequentis vel signi*; Non priori sed posteriori modo sunt necessaria in justificatis, non vero in justificandis. Confer Art. X. de fide Q. I. II.

2. S. Scripturæ dicta, quæ à Pontificijs detorquentur pro necessitate B. O. etiam in justificandis, facili negotio diluuntur, observatis regulis & ratione eadem resolvendi, à

B. Haff. in Art. de justificatione monstrata.

Q. II. *Quid de operibus hæreticorum dicendum?*

R. Hæreticorum opera non possunt esse spiritualiter bona; quia 1. per errores contra fundamentum pertinaciter defensos, non minus quam per peccata contra conscientiam, excluditur Spiritus Sancti gratia, *Hebr. 10: 29.*

2. Hæretici discesserunt a fide, 1. *Tim. 4: 1. fecerunt naufragium fidei, 1. Tim. 2: 19. & sine fide impossibile est placere DEO, Hebr. 11: 6. persona non placente, DEO, quomodo placebunt opera.*

Q. III. *Quid de bonis operibus irrogenitorum tenendum?*

R. Actiones irrogenitorum licet sint civiliter bonæ, & temporali benedictione a DEO remunerentur, ut societas humana conservetur; non tamen exinde efficiuntur verè & spiritualiter coram DEO bonæ: quicquid enim ex fide non est, DEO placere nequit, *Rom. 14: 23.*

Q. IV. *An deceat intuitu mercedis benè agere?*

Resp. 1. In omni opere Dei Gloria tanquam ultimus & præcipuus finis spectetur,

Col. 3: 17. 2. ergo non licet intuitu mercedis, operibus ex merito operum debitæ, benè operari; sed gratuitam pietatis compensationem expectare, leg. dicta Luc. 17: 10. & 18: 9. seqq. Rom. 9: 30. seqq.

Q. V. An in conspectu hominum liceat benefacere egenis?

R. Aff. 1. Quia Christus, Matth. 5: 16. vult ut luceat lux nostra coram hominibus, ut videant bona nostra opera, &c. Et Paulus, 2. Cor. 8: 24. jubet Corinthios ostendere beneficentiam suam in facie Ecclesiarum, non propter inanem gloriolam; sed ut ex piorum beneficentia, alii ad pietatem excitentur.

2. Quod Christus, Matth. 6: 3. 4. jubet Eleemosynam fieri in abscondito, &c. illud præceptum opponit Pharisæicæ ambitioni, qui quolibet bono opere applausum populi appetebant.

Q. VI. Sint ne Eleemosynæ opera meritoria?

R. 1. Eleemosynæ habent quidem promissiones bonorum temporalium & spiritualium, Luc. 6: 36. 38. & 14: 14. &c. sed non nituntur illæ dignitate ipsius operis, sed gratiâ Dei per Christum acquisitâ, Rom. 3: 24. 25. Eph. 2: 8. &c.

2. Non

2. Non merentur Eleemosyæ vitam æternam, sed solus Christus satisfecit pro peccatis nostris & promeruit nobis vitam illam gloriosam, *Job: 3: 16. & 14: 2. &c.*

Q. VII. *Ἄν ἐθελοφρονησκέαι* DEO placeant?

Resp. Disting. inter illas, quæ in genere præcipiuntur in verbo Dei, & illas, quæ tam generali quam speciali mandato destituuntur; *priores* placent, si non pugnent cum specialibus præceptis; *posteriores* vero minimè: *Leg. Matth. 15: 9.*

Q. VIII. *Ἄν ὁ ἄνθρωπος ἐν τοῖς ἀγαθοῖς ἔργοις ἀποβῆται ἰσχυρὸς* An homo in bonis operibus aliquid cooperetur?

Resp. Distingv. inter hominem ex se suisque viribus consideratum, & hominem novum, à Spiritu Sancto viribus donatum; *priori* modo non cooperatur, sed *posteriori*, cum hac tamen limitatione, quod operatio non sit hominis, *ut hominis*, sed *renati*, & sic mediatè Spiritus Sancti, *Joh. 14. 26. conf. Matth. 10: 20.*

Q. IX. *Ἄν ὁ ἄνθρωπος ἐν τῇ ἐπιπέσει ἐπιπέσει* Quomodo erigendi, qui ob defectum bonorum operum verentur comparere in extremo Die?

Resp. Gravis est hæc tentatio, quæ sæpè piis in mentem venit, quòd Christus in ex-

tremo Die producturus sit piorum opera,
Matth. 25: 34. & seqq.

2. Sed tali tentato svadendum, (1) ut in defectu operum ad preces confugiat, & fiduciam in singulari Dei bonitate collocet, qui gratis vitam æternam offert, etiam omni re bonâ vacuis, *Esa. 55: 1. Rom. 4: 5.*

(2) Jesum Christum Patri Cœlesti offerat, cujus operibus salvi sumus: *Si Deus Christum pro nobis tradidit, quomodo cum eo non omnia nobis gratificabitur? Rom. 8. 32.*

(3) Quod residuum vitæ est, bonis operibus studeat. *Joh. 5: 14.*

Q. X. Quomodo consolandi, qui conqueruntur, se non posse ob pauperatatem elemosynas dare, rempla dotare?

R. 1. Deus non exigit fructum ex isto talento, quod homini non concredidit, Matth. 25: 15. seqq.

2. Spiritus S. non tantum laudat ea opera, quæ ditiores erogant, sed & illa, quæ a pauperibus præstari possunt, *leg. Jac. 1: 27. & 5: 20.*

3. Paupercula vidua plus aliis immisit in gazophylacium, judicante Christo, *Marc. 12: 41. seqq.*

ARTICULUS XVI.

DE CRUCE ET PRECIBUS.

(A) DE MULTIPLICI
CRUCE PIORUM.

Q. I. An Deus sinat fideles tentari supra vires?

R. I. In tentationibus Spiritualibus, non finit Deus pios ullâ tentatione superari; ipse enim largitur virtutem & fidem, *qua est victoria mundi*, 1. *Job. 5. 4.*2. Nequè in tentationibus corporalibus, Deo vires largiente, pij superantur; *virtus enim Dei in infirmitate nostrâ perficitur*: 2. *Cor. 12: 9. Nec quicumque potest separare nos à dilectione Dei*, &c. *Rom. 8: 37. 38. 39.*3. Vires autem meræ humanæ in tentationibus, ut in morbis & periculis externis, non possunt subsistere. *Leg. Esa. 38: 13. 14. 2. Cor. 1: 8.*Q. II, *Largæ sunt promissiones divinæ piis factæ*, *Psal. 34: 10. 11. & 1. Tim. 4: 8. Sed tamen premuntur in hoc mundo?*R. I. Promissiones Divinæ piis in S. Scripturâ factæ, semper intelligendæ sunt cum inclusione crucis, *in eod. Psal. 34: 20. docet Spiritus S. quod multæ sint tribulationes iustorum*

rum. Add. Pauli, Act. 14: 22. & 2. Tim. 3: 12.

2. Promissiones piis factæ oculis carnalibus non sunt adspiciendæ, sed spiritualibus: & sic pii, licet foris videantur omnium afflictissimi & tristissimi, intra se tamen lætiti-
am Spiritus S. experiuntur, & hoc est, *nihil habere & omnia possidere, abundare omnibus in Domino, letari in Domino, gloriari in æ-*
rumnis, Rom. 5: 3. 4.

3. Considerandæ sunt causæ calamitatum, piis immissarum; quarum (1) quòd crux sit memoriale & stipendium peccati, *Rom. 5: 12.* (2) Remedium contra peccatum, *1. Pet. 4: 1.* (3) Occasio pœnitentiæ, *1. Cor. 11: 23.* (4) probatio fidei & patientiæ, &c. (5) est exercitium precum; *Oratio sine malis, est avis sine alis*, inquit Aug. *Esaj. 26: 16.* (6) est occasio benefaciendi aliis, similem afflictionem patientibus, *2. Cor: 1: 4.* (7) facit ut attentius audiamus & expendamus verbum DEI, *Psal. 119. 71.* (8) facit nos conformes ìmagini filii DEI, *Rom. 8: 29.* (9) Accendit desiderium vitæ æternæ, *Tob. 4: 6.* (10) est medicina contra superbiam, *2. Cor. 12: 7.* (11) est Testimonium vitæ æternæ, ubi bonis bene & malis malè erit *Matth. 25: 34. 41.*

Q. III. Quomodo instituendi, quos amissio bonorum temporalium affligit?

R. Vid. Art. XI. de Evang. Q. XVI.

Q. IV. Quomodo iuvandi, qui cum perpetuâ tristitiâ luctantur?

R. 1. Vult DEUS ut læti simus, læti in Domino, *Phil.* 4: 4. Ergo malis cogitationibus firmâ fide resistendum, quia sunt à spiritu maligno, quibus homines ad desperationem tentat: exemplo sint, Achitophel, Saul, Ischarioth, &c.

2. Fuere & Sancti tristes, ut Job, David, & ipse Christus, qui tandem vicerunt.

3. Anxietate nostra quia nihil proficimus, *Matth.* 6: 27. Ergo curam omnem conjiciamus in Dominum, *Psal.* 55: 23. *conf. Psal.* 37: 4. 5.

4. Simus frequentes in precibus, & exaudiemur per Christum, qui gravem tristitiam pertulit, *Matth.* 26: 38.

5. *Conf. quæ dicta sunt in Art. XI. de Evang. Q. III. & in præcepto. I. Q. V. de gaudio spirituali.*

Q. V. Quæ sint remedia contra Melancholiam?

R. Vid. Art. XI. de Evang. Q. V.

Q. VI.

Q. VI. Quomodo erigendi sunt, qui impiis & blasphemis cogitationibus, etiam de Dei justitiâ, providentiâ, &c. impetuntur?

R. Repet. ex Art. XI. de Evang. Q. IV. & VIII.

Q. VII. Quomodo consolandi, qui ob admissum perjurium, ad desperationem tentantur?

R. 1. Christus ad se omnes, nemine excluso, vocat, qui onere peccati gravati sunt, Matth. 11: 28.

2. In Vet. Test. ordinavit DEUS, nè perjuri desperarent, sacrificium arietis; ut doceret etiam in N. T. perjuros, factum deflentes, propter Christi sacrificium se velle in gratiam recipere, leg. Lev. 5: 4. 5. 6. 13.

3. Et Petrus fuit perjurus, peccatum deflevit acutè, & in gratiam receptus, Matth. 26: 74. 75. & Marc. 16: 7.

4. Sed hac cautione recepti sunt, ut si quemquam perjurio fesellerunt, damnum sarciant, Lev. 6: 4. 5.

5. Add. ex Art. XI. de Evang. Q. X.

Q. VIII. Quomodo fulciendi, qui diuturnitate malorum suorum, cum radio vite, desperationi sunt vicini?

R. 1. Et

R. 1. Et Sancti sæpè diuturnitate malorum ita fracti sunt, ut ipsos vitæ tæduerit, leg. *Job. 3: 1. seqq.*

2. Iniquissima autem res est, cum homo ex aduerso respondat DEO factori suo, *Rom. 9: 20. conf. Esaj: 29: 16.*

3. DEUS interim aduersitatibus suas præstituit metas, non dum venit hora mea dicit Christus, *Job. 2: 4. Ergo licet moram fecerit Dominus, expecta, Hab. 2: 3.*

4. Caveamus, ne impatientia augeamus molestias nostras; nam sufficit diei sua molestia, *Matth. 6: ult. componamus nos ad patientiam, Mich. 7: 9. tollamus crucem Christi quotidie, Marc. 8. v. 34. quotidiana peccata, quotidianam habent crucem.*

5. Frequens sit meditatio verbi DEI; si enim Lex DEI oblectatio nostra fuerit, non peribimus in ulla afflictione, leg. *Psal. 119: 71. 92.*

6. *Conf. Art. de Evang. 2. VI.*

Q. IX. Quomodo nos erigamus aduersus grassantem pestem?

R. Erigamus nos (1) faciem DEI in verbo quærendo, *Psal. 42: 3.* (2) pœnitentiam agendo, *Lev. 26: 15. 40.* (3) preces ad DEUM dirigentes.

dirigendo, *Psal.* 95: 6. (4) voluntati ejus nos subjiciendo, *Mich.* 7: 9. (5) Castigationem grata mente agnoscendo, *Psal.* 119: 71. (6) liberationem patienter expectando, *Ihren.* 3: 26. *seqq.* *Mich.* 7: 7. &c.

Q. X. *Quomodo tempore famis?*

R. *Vid. Art. XI. de Evang. Q. XIX.*

Q. XI. *Quæ sint nostræ cogitationes de bello?*

R. 1. De bello sint nostræ cogitationes (1) Quod bellum sit a Deo propter peccata, *Deut.* 28. 25. (2) Hostium rabies habeat a Deo præscriptos terminos, *Esa.* 37, 29, *seqq.* (3) Hostes licet nos trucident, nos communi-
one indissolubili, quam cum Christo habemus, privare nequeunt, *Rom.* 8: 38-39. (4) si finis Belli bonus & causa justa, etiam eventus erit auspiciatus; prælium enim non est nostrum, sed Dei, (5) sancti qui in bello extinguuntur, *requiescunt à laboribus suis*, *Apoc.* 14: 13. (6) Deus in bello vexatis desiderium & pretium pacis accendit: *Bona enim nostra carendo, magis quam fruendo intelligimus.*

2. Si ex animi sententia omnia in bello non succedant, sine dubio (1) magis viribus suis fidebant, quam victoriam a Deo supplices petebant. (2) *Sæpe justis obtingit secundum opera*

opera improborum, & improbis secundum opera justorum, Eccl. 8: 14. (3) Si prima vel secunda vice non successit, animum tamen non despondeamus, aliquando *victis redit in præcordia virtus, & victi vincunt; leg. Jud. 5: 12.* (4) Si semper ad voluntatem nobis succederet, non Deo sed nobis victoriæ gloriam forte tribueremus, *Leg. Psal. 115: 1.*

Q. XII. *Quomodo pellenda tristitia, quæ oritur ex persecutionibus & exilio propter confessionem fidei?*

R. (1) Agnoscenda est voluntas DEI, qui vult, ut pro Christo patiamur, *Phil. 1: 29. 30.* (2) Considerentur exempla Prophetarum, Apostolorum, aliorumque Sanctorum, qui propter veritatem divinam, exilia & mortem ipsam perpeffi sunt, *Matth. 5: 12.* (3) exules non patiuntur ut fures ac malefici, sed ut confessores veritatis, *1. Pet. 4: 15.* (4) per exilium & Martyria ad cœlestem gloriam contendunt, *Matth. 10: 29, 30.* (5) Pii, licet exulent a patria, non tamen exulant a DEO, qui nusquam suos destituit, *lacrymas nostras ponit in conspectu suo, & fugam nostram numerat, Psal. 56: 9.* (6) DEUS omnia largissimè remunerabitur, *leg. Matth. 19: 29.*

Q. XIII.

Q. XIII. *Quomodo sustentare se possit Conscientia fidelis in Spirituali aliqua desertione, ex quâ magna sequitur anxietas?*

R. 1. Cogitandum (1) imprimis desertiones hujusmodi expertos esse etiam sanctos, ut Job, cap. 6: 2. seqq. David, Psal. 6: 3. seqq. & 77: 8-10. & ipse Christus, Matth. 27: 46. (2) DEUM non oblivisci suorum, cum videatur eos dereliquisse, Esaj. 49: 14-16. sed in suam gloriam & ipsorum emolumentum hoc præ se ferre.

2. Notandum quod Art. XI. de Evang. ad Q. XI, responsum est, & ad Q. V. in præcepto I.

Q. XIV. *Quanam sint solatia contra calumniam?*

Resp. (1) Quid sit calumnia, nempe grande peccatum, vid. Præcept. VIII. Q. XX. XXI. (2) Quamvis vulgo dici soleat: *contra syn-cophantæ morsum nullum est remedium*: In verbo Dei tamen tria suppeditantur remedia; quorum primum est *patientia*, quam discimus ab ipso Christo, qui varijs calumnijs impetitus est, leg. Job. 8. 52, &c. Alterum est *bona conscientia*, vid. Qq. proæm. Q. V. VI. VII. Tertium est *oratio*, leg. psal. 120: 2. seqq. Q. XV.

Q. XV. Quæ sint remedia contra invidiam?

R. I. Invidia quale sit peccatum, *leg. Præcept. V. Q. 1. 2.* Hic autem not. (1) quod invidia hominem in Dæmonem ἐπιχαιρεικακον vertat, Abelem interemit, Christum crucifixit. (2) Invidus nomen ejus, cui invidet illustrat, se ipsum vero exedit & excruciat, tot enim habet invidus tortores, quot is cui invidet, laudatores. Ergo (3) virtuti magis magisque studeamus, ut magis magisque extorqueantur invidi.

Q. XVI. Quomodo in omni adversitate verè simus patientes?

R. (1) Si ad monitum Christi, possideamus animas nostras per patientiam, *Luc. 21. 19.* (2) si confiteamur nos justè affligi, imò mitius quam commeriti sumus; *Mich. 7. 9.* (3) si intueamur Martyres, imò ipsum Christum, quid illi perpeffi sunt; quia solatur miseros socios habuisse doloris.

Vid. quæ dicta sunt de patientia & impatientia, Art. XI. præcept. 1. sect. 1. Q. IX.

(B.) DE PRECIBUS.

Q. I. An & cur frequenter orandum?

Aff. (1) Propter DEI mandatum, *Esa. 55.*

6. 7. (2) *promissum*, Psal. 50: 15. (3) *indigentia* nostræ *periculum*, Psal. 18: 5. 7. (4) *DEI Beneplacitum*; sic enim vult DEUS honorari, Matth 4: 10. ne ingrati videamur, Deut. 32: 6. (5) *Sanctorum Exemplum*, Abrahami, Gen. 18: 23. Isaaci Gen. 24: 64: Jacobi, Gen. 32: 5. *seqq.* &c. Leg. Ordin. Eccl. Cap. XII. §. 1. II. III.

Q. II. *Quid requiratur, ut preces nostræ DEO placeant?*

R. Requiritur (1) *fides*, cum Deo nihil placeat, quod non sit ex fide Hebr. 11. 6. cum speciali fiducia nos exauditum iri in omnibus ijs, quæ in nomine Filij petimus, modo ea sint Deo gloriosa & nobis utilia, 1. Joh. 5. 14. (2) vera hominis *conversio*, Esa. 1. 14. *seqq.* (3) vera *humilitas* erga Majestatem Divinam, excludens omnem meriti opinionem, Dan. 9: 7. *seqq.* (4) in precibus *Constantia*, oportet enim semper orare & non segnescere, Luc. 18: 1. *seqq.*

Q. III. *Sufficit ne corde & mente orare?*

R. (1) Sufficit ad essentialian orationis, quæ sine actu externo exerceri potest, 1. Sam. 1: 13. (2) Non sufficit semper ad officium orantis explendum, (a) quia DEUS est glo-

glorificandus & religiosè colendus, non tantū animis sed & corporibus, atque adeo voce nostrâ 1. *Cor.* 6. 20, (b) sæpè etiam cum alijs orandum est, qui vocis nostræ beneficio ædificantur, *Tbren.* 3. 40. *seqq.*

Q. IV. An facies tegenda sit inter orandum?

Resp. (1) Est ceremonia & res adiaphora, ad exemplum velatæ faciei Cherubim & Seraphim, *Esa.* 6: 2. & Mosis, *Exod.* 3: 6. (2) hujus Ceremoniæ alius non est usus, nisi ut caveamus nobis ab avocationibus, quæ per oculos possunt insinuari, *conf. Matth.* 6: 6. (3) pari devotione etiam apertâ facie pij orant, quorum gestibus, si absit hypocrisis, alij ad devotionem excitantur.

Q. V. An de exauditione precum certi esse possimus.

R. Aff. quia (1) expressam habemus promissionem in verbo DEI, *Esa.* 65: 24. (2) etiam juramento confirmatæ sunt hæ promissiones, *Job.* 16: 23. (3) Dubitatio multa incommoda secum fert: (a) preces facit irritas, *Jac.* 1: 6. (b) DEUM mendacij arguit, 1. *Job* 5: 10. (c) consolationem in adversis aufert, 1. *Chron.* 20: 13.

Preces ergo verâ fide formatæ non sunt irritæ,

irritæ, sed certò exaudiuntur, *si non ad voluntatem, tamen ad utilitatem nostram.*

Q. VI. An possit aliquis ad certam precum formulam sese adstringere?

R. Aff. Nam (1) certa benedictionis formula à DEO præscripta legitur. *Num. 6: 24 - 26.* (2) certa precandi forma à Christo Discipulis tradita est. *Matth. 6: 9. seqq.* (3) Preces quoque Sanctorum formaliter descriptæ sunt (ut in Psalterio, &c.) ut nos ipsis Spiritus S. verbis Deum compellemus. (4) igitur juniores præcipuè, formulis illis utantur, exemplo discipulorum Christi & Johannis, *Luc. 11: 1. seqq.* Sed danda est opera, ut illas benè intelligant, aliàs appropinquant Deo tantum labijs, contra Christi interdictum, *Matth. 15: 8. 9.* (5) sed quilibet ea formulâ & precum numero utatur, quam ipsa necessitas postulat: Deus enim preces nostras non numerat, sed ponderat, neque quibus verbis, sed quo affectu oratur, attendit.

Q. VII. An oratio Dominica rectè quotidie recitetur?

R. Aff. Quia (1) ab ipso Christo instituta, præcepta & Pharisaorum battologiæ opposita est, *Matth. 6: 7.* (2) Christus discipulis suis

fuis eam commendat, *Luc.* 11: 2. æquum ergo est, ut liberos nostros eam doceamus, & inter alias preces illam recitemus; est enim precatio preces, quævis petenda compendiosissimè comprehendens.

Q. VIII. An clausula orationis Dominice ad ejus essentiam pertineat?

R. Aff. Quia (1) in Evangelio Matthæi in omnibus, exemplaribus Græcis, Arabicis, Syriacis, legitur. (2) Verba illa sunt fidei analogæ, & leguntur 1. *Chron.* 29: 11. (3) Paulus septimam petitionem recitans, clausulam non multum dissimilem subjungit, 2. *Tim.* 4: 18. (4) non obstat, quod non extet, *Luc.* 11: 4. Siquidem multa alia habet Matthæus, quæ in Lucâ non extant.

Q. IX. Cur ante & post sumtum cibum orandum?

R. Cibus à nobis est consecrandus, (1) ut recordemur Dei omnium Datoris, *Psal.* 145: 15. 16. (2) ut agnoscamus, quod non solo pane vivat homo, &c. *Matth.* 4: 4. (3) ut mentem satiemus cibo, qui non perit, *Job.* 6: 51. (4) ut cibus nobis proffit, *Deut.* 8: 10, seqq. quia ex 1. *Tim.* 4: 4. ἀγιάζεται διὰ λόγον καὶ ἐνθεύξεως.

Q. X. An orandum sit pro inimicis?

R. Disting. (1) inter inimicos *DEI*, & *nostros*, Pro *illis* non est orandum, nè blasphemias illorum videamur approbare; *Hos* vero precibus nostris, ad salutem eorum, juvare convenit. (2) inter inimicos *emendabiles*, & planè *pertinaces*; pro *illis* orabimus, *Matth. 5: 44.* pro *hisce* vero non, *Jer. 7: 16.* (3) inter *vitia*, quæ sunt detestanda; & *personam*, pro qua, ut convertatur, orandum, exemplo Christi, *Luc. 23: 34.* & Stephani, *Act. 7: 60.*

Q. XI. *An cogitationes alienæ exauditionem impediunt?*

R. Ex infirmitate humanâ & astutia Diaboli, qui precibus nostris valde est infestus, cum sibi validissime illis resisti sciat, cogitationes alienæ inter orandum non rarò irrepunt, quibus per *DEI* gratiam resisti potest, (1) Si ante preces ad Deum suspiremus pro piâ intentione & aversione alienarû cogitationum, *leg. Syr. 18: 23.* (2) Si sit oratio nostra nervosa, sine battologiâ, *Matth. 6: 7.* (3) hasce peregrinas cogitationes, statim cum irreperint, deprecabimur, & preces devotè iterabimus.

Q. XII. *Quid de hymnis & Psalmis sentiendum?*

Resp. Pij hymni & Psalmi sunt Deo grati, & bona pars cultus divini; quod patet (1)
ex

ex singulari Spiritus Sancti mandato, *Esa. 12: 5. Col. 3: 16. &c.* (2) Sanctorum exemplo, Mo-
 fis, *Exod. 15. 1. Davidis, in plurimis Psalmis,*
ut Psal. 81: 1. seqq. &c. Imò Angelorum, *Luc.*
2. 13. 14. (3) inter canendum etiam cogi-
 tationibus alienis resistendum, *juxta Q. 2.*
Præced. (4) de delectu Psalmorum in Ec-
 clesijs nostris canendorum, *vid. Ordin.*
Eccl. Cap. XIII. §. 1.

Q. XIII. An in Festo Nativitatis, rectè canat
Ecclesia Christi, En Jungfru fødde ett Barn
i Dag?

R. Aff. Est enim Nativitas Christi triplex: (1)
eternalis, Psal. 2: 7. (2) *Temporalis, de qua*
Luc. 2: 11. (3) *Spiritualis, Hebr. 13: 8. 2. Cor.*
4. v. 6. Augustinus: *Christus unicuique nasci-*
tur, quando sibi nasci creditur. & Luth. tam
 recens est mihi Christus, ac si hodie sanguinẽ
 fudisset. *add. Pal. 117. 2. Luc. 1. 50.*

Q. XIV. Quid de Musicâ Instrumentali
tenendum?

R. 1. Etiam dulcisonis instrumentis lau-
 dandus est Deus, quod monet Spiritus San-
 ctus, *Psal. 149: 3. & 150, 3.* quod imitatur
 David, *Psal. 81: 3. 4. 5.* item seniores in Apo-
 calypsi, *Cap. 5: 8. 9.*

2. Si instrumentis musicis jungantur &

clarè audiantur piæ ac devotæ voces canentium, mirum in modum pias mentes delectant; quò applicari potest illud B. Lutheri, *qui canit, bis orat.*

3. *Conf. Ordin Eccles. Cap. XIII. §. II.*

ARTICULUS XVII.

DE DIVERSIS VITÆ ORDINIBUS,
ECCLESIASTICO, POLITICO ET OECONOMICO.

(A) DE STATU ECCLESIASTICO

Qui Animarum salutem concernit. 3

SECTIO I.

DE MINISTRO RUM PRÆPARATIONE
Vocatione, jure Patronatus & Ordinatione.

Q. I. *In quibus doctrinæ partibus sese præparent S. S. Theologiae Studiosi?*

R. *Videatur hæc questio fusè diducta in Ordin. Eccl. Cap. IX. §. II. III.*

Q. II. *An liceat de rebus Theologicis disputare?*

R. Aff. I. *Quia Ecclesiæ minister non tantum veram doctrinam proponet, sed & falsam refutabit, & Hæreticos, qui simpliciorum animos à verâ pietate abalienare satagunt, tenetur refellere; Verbumque Dei, quod*

quod gladius in Scripturâ vocatur, contra hostes veritatis strictum tenere, τὰς ἀνὴλέγοντας ἐλέγχειν, Tit. 1: 9. Exemplo Christi, Matth. 22: 29. 30. 42. & Apostolorum, Act. 15: 5. 10. 11.

2. Illæ tantum Qvæstiones sunt proponendæ & discutiendæ, quæ ad gloriam DEI, Ecclesiæ ædificationem, & proximi salutem spectant. Cavendum autem est à quæstionibus (1) *sublimioribus*, de quibus Rom. 11: 33. *seqq.* (2) *inutilibus*, quæ λογομαχίαι dicuntur 1. Tim. 6: 4. (3) *frivolis*, quales sunt multæ Scholasticorum.

Q. III. *An vocatio ad sacrum Ministerium sit necessaria?*

R. Aff. Quia (1) *nemo sibi ipsi hunc honorem sumat, nisi qui vocatur à DEO, sicut Aaron, Hebr. 5: 4.* (2) *quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? Rom. 10: 15.* (3) *currunt Pseudo-Prophe-tæ, antequam mittantur, Jer. 23: 21.* (4) *conf. Ord. Eccl. Cap. XIX. §. I.*

Q. IV. *An quis legitimam vocationem possit, salvâ Conscientiâ renuere?*

R. Si necessariis donis fuerit instructus: legitimam vocationem non potest respuere. quia (1) *incurrit in illud Pauli, 1. Cor. 9: 16. Ue mihi si non evangelizavero.* (2) *habet*

DEUM sibi offensum, sicut Moses *Exod.* 4: 24. & Jonas, *Jon.* 1: 3. *seqq.* (3) defodit talentum suum, & servo inutili assimilatur, *Matth.* 25: 18. 30. (4) sauciat Conscientiam suam, si infortunio aliquando infestetur, *quod non cōmendaverit Domino vias suas*, *Psal.* 37: 5.

Q. V. *Quid faciendum, si duæ vel plures simul offerantur vocationes?*

R. (1) Dispiceat talis vocatus, ad quamnã se magis aptum esse judicet. (2) DEUM ardentè oret, ut ductu Spiritus Sancti animũ eò flectat, ubi majori cum fructu Ecclesiæ prodesse possit, & indoneis ipsam donis instruat; *promisit enim DEUS Spiritum Sanctũ petentibus eum*, *Luc.* 11: 13.

Q. VI. *An, in vocatione Comministri, Pastoris consensus requiratur?*

R. Aff. Quia (1) ad legitimam ministrorum Ecclesiæ vocationem requiritur totius Ecclesiæ votum & consensus, *Act.* 1: 15, 23. Ergo & Pastori votum est relinqvendum, *cujus ουνεργος* futurus est. (2) *Conf. Ord. Eccl. Cap. XIX. §. IX.*

Q. VII. *Quis processus in vocatione ministrorum Ecclesiæ sit servandus?*

R. Hanc quæstionem nervosè decidit Ordinanda.

dinantia Ecclesiastica, Cap. XIX. §. VII. VIII. IX. X. XI.

Q. VIII. Quid de jure Patronatus sentiendum?

Resp. Jus Patronatus fusè & sufficienter definit ac deducit S. R. Majestas in Ord. Eccl. Cap. XIX. §. XII. XIII. XIV. XV. XVI.

Q. IX. Quenam ætas est apta ad ministerium Ecclesiæ?

Resp. 1. Levitæ Anno ætatis 25. officio publico admoti sunt, Lev. 8: 24. quæ ætas etiam in ordin. Eccl. Cap. XIX. §. II. num. 6. indigitatur, cum in ætatem adolescentiorē raro prudentia & experientia in casibus practicis cadant. 2. Verum, non tam anni numerandi, quàm dona Dei ponderanda.

Q. X. An ritus publicæ ordinationis, ad vocationem requirantur?

R. Aff. Quia (1) Ordinatio est testimonium publicum, quo vocatio legitimè facta confirmatur, (2) illâ ceremoniâ officium ministrorum, DEI & Ecclesiæ nomine, defertur, & publico testimonio conceditur. (3) vocatus in ordinatione publicâ obligatione obstringitur ad fidelitatem; & (4) Ecclesia sedulis precibus ministerium ordinati DEO cõmendat.

Q. XI. *Quid de χειροτονία tenendum?*

R. I. χειροτονία est Ceremonia, quâ liberè usi sunt Apostoli, eâque monebatur ordinandus, se sub protectione dextræ DEI tutum fore in suo munere, sanctoque officio se jam consecrari, & q. mancipari.

2. Quamvis autem hâc ceremoniâ liberè utamur, nemo tamen temerè eam omittere, aut, sine scandalo Ecclesiæ & ordinandi perturbatione, mutare potest; quia multis ab hinc annis in Ecclesiâ recepta est.

Q. XII. *An Quis ad ordinationem admitti possit, nondum ad certum aliquod officium Ecclesiasticum vocatus?*

Resp. Neg. Nam 1. ordinatio est vocatio-
nis confirmatio, 2. seriò à S. Reg. Majestate prohibetur præpropere illa ordinatio, in
Ordin. Eccl. Cap. XIX. §. VI.

SECTIO II.

DE MINISTRO RUM ECCLESIAE
Translocatione, Suspensione & Remotione.

Q. I. *Quid de translocatione monendum?*

Resp. 1. Si Ecclesiæ minister, absque ullâ necessitate, ob pinguius saltem salarium,
trans.

Translocationem ambit, illaudabilis est curiositas.

(2) Sin vero dextrâ pollet docendi facultate, promptâque ministrandi voluntate, potest salva conscientia, præviâ legitimâ vocatione, in translocationem consentire, ut in Dei imprimis gloriam, suum alteri cuidam Ecclesiæ indigentiori & populosiori, fœnerat uberiori cum fructu talentum.

3. Apostolus 1. Tim. 3: 13. dicit eos, qui benè ministrarunt, acquirere sibi βασιμὸν, quo ad altiora ascendant.

4. Si prohibeantur translocationes, sequeretur ad summa officia in Consistorijs, Academijs, Aulis, & Civitatibus, juniores tantum promotum iri.

Q. II. An is, qui jus Patronatus habet, possit. Ecclesie Ministrum pro suo arbitratu remove?

R. Neg. & Distingv. inter jus Patronatus, & Jurisdictionem Ecclesiasticam, illud patronis competit, hæc ad Consistoria Ecclesiastica pertinet. Leg ordin. Eccl. Cap. XIX. §. XIII. circa medium.

Q. III. Quanam præcipua sint delicta, quæ merentur ministri ab officio suspensionem, vel etiam remotionem?

Resp.

R. varia sunt delicta, in quibus delinquere possunt incauti V. D. ministri, præcipue in moribus & officij partibus; de quibus *vid. Ordin. Eccles. cap. XIX. §. 19. 21. 23. 24 25. 26. 30. 32.*

Q. IV. Quis processus, in Remotione V. D. ministrorum ab officio, servandus?

R. 1. Sicut Deus jam mediatè Ecclesiæ ministros vocat; ita eisdem legitimo servato processu deponit, scilicet, ubi præsentibus duobus vel tribus fide dignis testibus (1. *Tim. 5: 19.*) Actio coram Consistorio instituitur, accuratè examinatur, & pro qualitate Delicti, reus, vel verbali eaque severâ reprehensione & comminatione, vel ab officio ad tempus suspensione, vel totali remotione punitur.

2. Sed de enormi aliquo convictus Flagitio, sacro officio in Consistorio privatur, & Magistratui Politico traditur puniendus.

Q. V. An reprehensionem mereantur, qui pro concione peccantes in moribus nominatim perstringunt, aut ita depingunt, ut quilibet eos notare possit?

R. Aff. Non enim Christus vel Prophetæ vel Apostoli id fecerunt; nec exindè emendantur

tur nocentes, sed sæpè obstinaciores redduntur: Aliàs vitia in genere graviter sunt castiganda; Errantes vero in doctrinâ nominatim refutare necesse est, nè alii seducantur.

Q. VI. An qui operto capite sermonem ad populum habet, reprehensione dignus sit?

R. Aff. (1) si id ex fastu & mollitie faciat; sin vero valetudinis ratio id postulat, noxâ caret; Cavenda est superbia, & valetudo curanda.

(2) Quod Apostolus *1. Cor. II: 4. 7.* de nudato capite adducit, illo dicto non certum & immutabilem ritum præscribit, sed consuetudinem Ecclesiæ sui temporis innuit: vixit etiam Apostolus in Zonâ temperationi.

Q. VII. Quomodo ergo V. D. minister sine offensâ, officio sacro præesse possit?

R. Potest, non suis viribus fretus, sed adjutus Dei auxilio, inoffenso pede in officio sacro progredi, si semper memor sit Juramenti in ordinatione præstiti, & benè perpenderit quæ S. R. Majtas in *Ord. Eccl. præcipuè Cap. II. §. II. & seqq. præscribit, &c.*

SECTIO III.

DE IMMUNITATIBUS MINISTRORUM EC-
clesiæ.

Q. I. *Quenam sint immunitates illæ, quibus gaudet V. D. ministerium?*

R. Gratulamur nobis in nostrâ Patriâ, quod gaudeat V. D. ministerium immunitatibus quàm plurimis, quas indulgit Monarcha noster invictissimus, in variis recessibus & diplomatis regiis, præcipuè in Privilegiis Cleri, quæ Anno 1675. die 1. Octobr. Upsaliæ in ipsâ exoptatissimâ Coronationis solemnitate, & quidem aucta, clementissimè concessit & confirmavit.

(B) DE MAGISTRATU POLITICO,
sine quo ministerium Ecclesiasticum suo munere ritè perfungi nequit.

Q. I. *An Magistratus potestas sit à DEO?*

R. Aff. Quia (1) DEUS hujus ordinis Author est, Rom. 13: 1. 2. Prov. 8: 15. (2) patet idem Exemplis, Mosis, Exod. 7: 1. Josue, Jos. 1: 5. Davidis, 1. Sam. 13. 14. Salomonis, 1. Chrō. 29: 5. &c.

Q. II. *An Princeps sit solutus legibus?*

R. Princeps, ut homo seu *ethicè* consideratus, est sub lege, quin & ipse sibi lex est, & quod

quod subditis præscribit, ipse primus observat; sed princeps, ut princeps seu *politice* cōsideratus, est solutus legibus, ut ipse pro salute Reipubl. leges ferre & mutare possit.

Q. III. An fœminæ ad Imperij potestatem admittendæ?

R. Non per electionem, sed per successionem gubernationi rerum præfici possunt, si leges regni fundamentales, vel consuetudo alicubi diuturna publicè recepta & continuata, fauces imperii fœminæ decernant. Sic Debora, *Jud.* 4: 46. &c.

Q. IV. Quomodo erigendus sit Magistratus, si officium ipsi fuerit molestum & onerosum?

R. (1) Homo natus est ad labores & ærumnas, *Job.* 7: 1. Moses populi seditiones, David Absolonis rebellionem, & Simei convitia expertus est: quia *honus, onus.* sed labores sequuntur præmia temporalia & æterna, *Syr.* 44: 2-5.

(2) Confidat Princeps bonæ suæ conscientia, *2. Cor.* 1: 12. & in omni proposito Deū interroget, *Esaï.* 30: 2. quod fit (1) orando, oratio enim est colloquium cum DEO; sic magni momenti opus aggressura Judith, *Orat. Judith,* 13: 6. 7. (2) verbum Dei consulendo, in quo consiliarij, *Psal.* 119: 24.

S E C T I O II.

DE CURA MAGISTRATUS

circa Religionem.

Q. I. *Quenam sit Magistratus cura circa religionem?*

R. Pius Magistratus est Ecclesiæ nutritius, Esa. 49: 23. itaque ei incumbit cura, ut ministeria Ecclesiæ legitimè constituentur & administrantur, Deut. 17: 18, 19, Psal. 2: 10. 11. Exemp. Iosaphati, 2. Chron. 19: 6-11. Ezechiæ, 2. Chron. 29: 15 *seqq.* &c.

Q. II. *An Magistratus subditos ad Religionem cogere possit?*

R. Neg. quia fides non potest cogi, *vid. Art. X. De Fide. Q. VIII.*

Q. III. *An bella ob religionem gerenda sint?*

R. Religio non quidem propaganda est armis, sed tamen defendenda: cum enim subditi ob religionem injustè opprimuntur, contra vim hostium omninò sunt defendendi, Leg. 1. Macc. 3. 21. 22.

Q. IV. *An fides heretico data, sit servanda?*

Resp. Aff. 1. Fidem datam rumpere, est contra legem divinam, Matth. 5: 37. & contra jus gentium: Fide promissâ Respub. con-

conservatur, quæ conditionem Personæ, cui promittitur, non respicit.

2. Perjuri & fœdifragi miserè pereunt. *Saul* fidem Gibeonitis datam violat, punitur in posteris, 2. *Sam.* 21: 9.

3. *Abraham* paciscitur cum *Abimelech*, *Gen.* 21: 27. & cum eodem *Isaac*, *Gen.* 26: 21.

SECTIO. III

DE OFFICIO MAGISTRATUS in civilibus.

Q. 1. *Quatenus leges humanae obligent Conscientiam?*

R. 1. Regula conscientia est Lex Dei in corde inscripta, *Rom.* 2: 15. Leges tamen humanae etiam observandae, propter Conscientiam erga Deum, *Rom.* 13: 5. quia Lex Dei Magistratum constituit, jubetque Obedientiam ei præstare, *Prov.* 24: 22.

2. Leges humanae, quæ urgent & declarant legem divinam, directè faciunt ad ejus conservationem, & participant de naturâ & vi legis divinae.

3. Leges vero humanae merè positivæ cessant, earumque obligatio, si per desuetudinem vel contrariam consuetudinem, ex tacito consensu & conniventia superiorum negliguntur.

Q. II. *An lex Talionis in N. Test. sit prorsus abrogata?*

R. Neg. quia 1. legi naturæ est consentanea, & ex ea q. deprompta. 2. Christo non venit legē divinitus datam tollere, *Matth. 5: 17.* 3. ad eam respexit Christus, *Matth. 10: 32 33. Luc. 6. 38.* 4. in Dicto *Matth. 5: 38.* prohibetur etiā vindicta privata, & vindictæ cupiditas; ergo Talionis Lex prorsus non est abrogata in N. T.

Q. III. *An iudex semper secundum leges judicare debeat?*

R. Aff. 1. Et quidem ex *Deut. 17: 11. seqq.* 2. Notandum tamen, (1) mentem legislatoris semper esse attendendam. (2) legem generalem, quandoque admittere limitationem ratione utilitatis, honestatis & necessitatis. Conf. Q. VII.

Q. IV. *An Magistratus supplicia capitalia reo possit remittere, acceptâ pecuniâ?*

R. Neg. Est enim (1) contra expressum Dei Verbum, *Deut. 19: 11-13.* (2) datur ansa licentiæ in similibus, & peccata augentur, quia pecuniâ redimi possunt. (3) *interest Reipub. nē peccata maneant impunita.*

Q. V. *An transactio homicidæ cum ab eodem vulnerato moribundo, præjudicet Magistratui?*

R. Neg. Rectè quidem Reus cum læso, ejusque

ejusque viduâ & liberis reconciliatur, quod concernit ejus conscientiam, & remissionem coram Deo; Cum tamen læsus non sit Dominus suorum membrorum & vitæ, Resp. quoque & leges divinæ sint violatæ, transactio hæc Magistratui non præjudicat, quin ex officio ad pœnam procedere possit.

Q. VI. *An ad petitum puellæ, matrimonij ergo, justè damnatus, possit dimitti?*

R. Neg. quia (1) Consuetudo illa est contraria legi Dei, quæ homicidam morte puniri vult, Num. 35: 30. 31. (2) interest Reipub. nè peccata maneant impunita, (3) Deus pœnas minatur ei, qui fontes absolvit, 1. Sam. 15: 9. 1. Reg. 20: 41. imò (4) jubet homicidam voluntarium occidi, Gen. 9: 6.

Q. VII. *An secundum acta & probata sit judicandum, an vero secundum conscientiam?*

R. Est hæc inter Quæstiones vexatas, sed tutius negatur prius & affirmatur posterius; si acta & probata imperfectione, & vitio laborent illegitimi processus, quia (1) juris naturalis est, secundum rei veritatem judicare, juris gentium a. secundum acta & probata, aut jus gentium non debet quicquam juri naturali derogare.

2. Judex pronuncians illud esse, verum,

quod certò novit esse falsum, mendax est, contra conscientiam peccat; ergo non debet errorem præferre veritati, & innocentem scien-ter occidere, *Exod. 23: 7.*

3. Pilatus, si secundum conscientiam judicare voluisset, Christum non condemnasset, *Marc. 15: 10.* & injustus Judex dictus non esset.

4. Cognitio autem causæ, quâ conscientia fulcitur, omninò indubitata erit, orta ex *aut ψια*, aut aliis firmissimis argumentis.

5. Quod *Deut. 19: 15.* & *Matth. 18: 16.* legitur de duobus aut tribus testibus, illud de infallilibus testibus intelligendum est; namque licet mille testes nocentem dicerent, quem judex verissimè scit esse innocentem, nunquam tamen illi judicii facient veritatem, & innocentem efficiant nocentem; *nec enim veritas errore deletur.*

Q. VIII. *An in Judicijs Majora, an vero saniora vota debeant prævalere?*

R. 1. Rationes & causæ potius attendantur, quam vota, cum Deus sæpe unum saniori mente ac judicio præ multis donet; non enim numerandæ, sed ponderandæ sunt sententiæ.

2. Juxta votorum pluralitatem Susanna innocens fuisset condemnanda: Sed prævaluit

luit unius Danielis votum ac sapientia, *Hist. Sus. vers. 45. seqq.*

3. *Consiliorum ergo Gubernatrix lex Divina esto*; inquit Cyprianus.

Q. IX. *Quid de Tortura sentiendum?*

R. 1. De hâc methodo veritatem explorandi per tormenta, nihil legitur in S. Scripturâ; sed saltem hoc: inquirent iudices diligenter, *Deut. 19: 18.*

2. Legi naturæ contrariatur, insontes tam diris subijcere cruciatibus, qui morti æquiparantur; & modi torquendi ac instrumenta vel solo nomine horrenda sunt & detestanda.

3. Quam in proclivi sit, ut falsis aliorum accusationibus, delationibus & calumnijs innocentes graventur, *Josephi, Mephibosethi, Nabothi, Susanne, Stephani*, imò ipsius Christi &c. Exempla abundè testantur: si tales statim velit iudex torturæ subijcere, quid fiet?

4. Ob tormenta multi se admisisse fatentur, quod ab alijs est perpetratum: & vicissim tanta in ijs perferendis quorundam est duritia, ut exquisitissimis etiam cruciatibus impellinequeant ad confessionem scelerum, quorum tamen Reos esse, tandem ve-

ritas aperit: Hos Diabolus q. somno opprimat, ut nec sentiant tormenta, nec audiant interrogata.

Q. X. *An causæ dubiæ sorti sint commitendæ?*

R. Theologi communiter distinguunt inter sortes Divinatorias, consultorias & divisorias, vid. Art. XI. de lege & Evang. præc. II. Q. V.

Q. XI. *An utile sit Reip. ut sint in eâ Asyla?*

R. Si ratio Asylorum in lege Divinâ constituta observetur; Papisticus abusus tollatur, & copia asylorum minuatur, habent in Republ. suum usum: Præbent enim hospitium innocentibus adversus vim potentiorum, & iram judicis iniqui.

SECTIO IV.

DE OFFICIO SUBDITORUM.

Q. I. *Quousque magistratibus iniquis præstari possit obedientia?*

R. Sunt magistratuum iniquorum mandata, alia planè impia, quæ pugnant cum expresso Dei verbo, in primâ & secundâ tabulâ Decalogi, in quibus magistratui nihil ceddendum, licet publicæ utilitatis specie pingantur; oportet enim DEO magis obedire quàm

quàm hominibus, *Act. 5: 29.* alia *injusta* sunt, quæ pugnant cum æquitate, pactis conventis, quæ quoad fieri potest, ferenda sunt, & diligenter cavendum, nè prætextu libertatis seditiosa tractentur consilia contra honorem magistratui debitum, *1. Pet. 2: 18, Prov. 24: 22.*

Q. II. *Licet ne subditis contra magistratum suum durius loqui?*

R. Neg. Ex. *Rom. 13: 1-7.* Resistitur autem magistratui non tantum vi & armatâ manu, sed & injuriosis verbis & armatâ lingvâ; nec contra tyrannicum magistratum, cui honor debetur, acuenda lingua convitijs, *Exod. 22: 28, Act. 23: 5.*

Q. III. *An etiam pro impio magistratu orandum?*

R. Aff. ex. *1. Tim. 2: 1. 2.* Fuit autem tempore Pauli magistratus Ethnicus & infidelis. Israelitæ quoque jubentur orare pro Rege Idololatrâ, *Jer. 29: 7. Conf. Baruch. 1: 11.* Imò sedulò orandum, ut DEUS, qui corda Regum in manu suâ habet, (*Prov. 21: 1.*) ea dirigat, ut sint Ecclesiæ nutritij & sospitatores, *Esa. 49: 23, Psal. 24: 7. 9.*

Q. IV. *An subditi non obtemperantes magistratui ad falsam religionem cogenti, committant crimen læsæ Majestatis?*

R. Neg. quia diversum præcipit magistratus superior, Rex Regum, 1. *Tim.* 6: 15. & magis obediendum DEO quàm hominibus, *Act.* 5: 29. si enim obtemperaverint, committerent crimen læsæ Majestatis Divinæ.

Q. V. *Quid ergo occipiendum in tali coactione?*

R. 1. Devoto corde adorandus est DEUS, ut saniora consilia suggerat persecutoribus, *Act.* 4: 24-31. (2) si autem indurati manent, ut Orthodoxos persequi pergant, tum fugiendum est, *Matth.* 10: 23. sin fugæ locus non datur, potius mors est appetenda, quàm contra conscientiam aliquid agendum, *Matth.* 10: 39.

(C) DE STATU OECONOMICO.

in quo per conjugium genus humanum propagatur, & ex eo per verbum Ecclesia colligitur.

Quæstiones præcipuæ, quæ in hoc Articulo moveri solent, cum optimè decidantur in Ordinantiâ Ecclesiasticâ, itaque illis decisionibus acquiescendum?

Q. I. *Quæ atas sit idonea Conjugio?*

R. Ætas matura, leg. Ordin. Eccl. Cap. XV. §. V.

Q. II,

Q. II. *Quid de sponsalibus, tam legitimis quam illegitimis tenendum?*

R. Quoad omnes circumstantias definit Ordin. Eccl. Cap. XV. §. VI. ad XVII. inclusivè.

Q. III. *Quis sit legitimus iudex in sponsalibus approbandis vel dirimendis?*

R. Accuratè discernit Ordin. Eccl. Cap. XV. §. I.

Q. IV. *An & quomodo publicè è suggestu proclamandi Neonymphi?*

R. Ex Ordin. Eccl. Cap. XV. §. XVIII. XIX. XXVI.

Q. V. *Quid circa copulationem & nuptiarum celebrationem notandum;*

R. Ex Ordin. Eccl. Cap. XV. §. XX-ad XXV. inclusivè.

Q. VI. *Quanam præcipua cautela U. D. ministris circa sponsalia & copulationem venit observanda?*

R. Legatur & notetur ex Cap. XV. §. II. III. IV, Ord. Eccles.

Q. VII. *Quid se separatione conjugum in divortio & ejus causis tenendum?*

R. Id docet Ordin. Eccl. Cap. XVI. §. I. ad X. incl.

Q. VIII.

Q. VIII. *Quomodo morosi in conjugio, rixosi, savi & vagantes & aliis vitiis obnoxij conerendi?*

R. Ex Ordin. Eccles. Cap. XVI. §. XI. XII.

ARTICULUS XIIIX.

DE NOVISSIMIS,

SECTIO I.

DE MORTE.

Q. I. *An terminus vitæ humanæ sit ex fatali aliqua necessitate?*

R. Neg. Vid. Art. IV. De Provid. Dei,

Q. X.

Q. II. *An mors sit timenda?*

R. Neg. & leg. Art. V. De Angelis, Sect. IV. Q. V.

Q. III. *An ergo mors optanda sit?*

R. 1. Sub cruce ex impatientiâ ingemiscere & mortem optare, non est hominis pij; pij enim in hoc mundo non possunt esse sine miserijs, 2. *Tim. 3: 12.*

2. Ex desiderio verò vitæ æternæ placidam mortem in voluntate Dei optare licet; omnes enim conditionem meliorem, ad quam conditi eramus, desiderant; sic Apostolus *Phil. 1: 23.*

Q. IV.

Q. IV. *An mors subitanea in se simpliciter sit mala?*

R. Piorum mors repentina est benedicta, mortem enim semper præmeditatam habuerunt; nec malè potest mori, qui benè vixit:

Q. V. *An animæ à corpore separata gaudio fruuntur, vel mali quid patiantur?*

R. S. Scriptura conditionem animarum beatarum describit à sensu & voluptate, atque damnatarum à sensu & dolore, Luc. 16: 25.

Q. VI. *An animæ beatorum statim ad visionem Dei admittantur?*

R. Aff. (1) ex Phil. 1: 23. An cum Christo esse quis possit, & Christum non videre? (2) Ex Sap. 3: 1. sunt in manu DEI; quomodo ergo DEUM non viderent? (3) Hebr. 12: 22. 23. Qui est locus insignis, de fruitione DEI.

Q. VII. *An mortui sint lugendi?*

R. Luctum moderatum adstruit Syracides Cap. 38: 16. seqq. immoderatus vero prohibetur, Lev. 19: 28. Christianum enim est mortuos lugere, tanquam ille, qui spem vitæ æternæ habeat, 1. Thess. 4: 13.

Q. VIII.

Q. VIII. An μετεμύχως sit credenda?

R. I. Delirant fanatici, statuentes animas defunctorum migrare in alia corpora, sed verè delirium est: Deus enim unicuique hominum, propriam animam dedit, quæ à corpore separata non migrat in aliud subiectum, sed vel ad locum beatorum vel damnatorum amandatur.

2. Quod de Elia dicitur, *Mal. 4:5.* non de migratione animæ Eliæ, in Johannem Baptistam intelligendum, sed quod donis suis zelum & fervorem Eliæ expresserit; quod liquet ex *Luc. 1:17.*

SECTIO II.

DE SEPULTURA.

Q. I. Quomodo horror sepulturae & sepulchri sit repellendus?

R. Si ad animum revocemus (1) quod *pretiosa sit mors sanctorum, in oculis Domini, Psal. 116: 15.* (2) quod Deus custodiat ossa piorum, *Psal. 34: 21.* Et (3) quod Christus suam sepulturam nostram sepulchra sanctificaverit, & q. calefecerit, ne sint nobis horrore, sed solatio. *Matth. 27: 60.*

Q. II. Cur demortuorum Corpora sepeliuntur extensis pedibus ad orientem?

R. Est

R. Est ritus & ceremonia libera, nullibi in S. Scripturis mandata, nec prohibita; inde sine dubio orta, quod (1) paradus fuerit in oriente, & nos ad æternum paradusum anhelamus. (2) Christi ad cœlum ascendentis *pedes steterunt in monte olivarum*, qui in oriente est, *Zach. 14: 4.* (3) Christus est vera lux. *Job. 1. 9.* & Sol justitiæ, *Mal. 4: 2.* ideoque ad solem orientem lumen creatum extensis pedibus humati, luminis Creatorem inde expectamus.

Q. III. *An infantes non baptizati, sint sepeliendi?*

R. Aff. & leg. ordin. *Eccl. cap. XVI. §. IX.*

Q. IV. *An hæretici Ceremonijs Lutheranorum sine sepeliendi?*

Resp. Neg. Quia in Ecclesia omnia ordine & decenter fieri debent, *1. Cor. 14: 40.* quæ autem confusio veræ religionis hostes adæquare sinceris confessoribus in honore sepulturæ?

2. Deus vult reprobos contemni, & timentes eum glorificari, *Psal. 15: 4.* idque ubi adhuc pœnitentiæ spes est, quanto magis post mortem, sublatâ spe resipientiæ.

3. Ipse Deus prohibuit fideles consortio
&

& amicitiam infidelium conjungi, *inquiens: nolite jugum ducere cum infidelibus. 2. Cor. 6:14. hereticum hominem evita, Tit. 3:10.*

4. Quidni indigni sint Christianis cantilenis, qui veræ Ecclesiæ hostes fuere, & quomodo possint beati prædicari, qui horrendos errores foverunt.

5. Scandalum daretur infirmis, q. nihil interesset cui quis religioni sit addictus, & hæretici in suis erroribus confirmarentur.

6. Et quo animo illud à nobis petent, cum ceremonias nostras contemnant & calumniantur.

Q. V. An ἀνόμοιοι honestâ sepulturâ in Cœmiterio sint humandi?

R. Neg. Quia 1. homines contra DEUM & naturam peccantes minimè curant, qua sepulturâ post mortem afficiantur.

2. DEUS impiis minatur asini sepulturam, *Jer. 22:19.*

3. Cœmiteria converterentur in loca squalida, si quodvis cadaver inibi humaretur, & honesti homines fastidium caperent.

Q. VI. An impiis, verbi ac Sacramentorum contemtoribus, deneganda sit honorifica sepultura?

R. Aff. ex Ordin. Eccl. Cap. XIX. §. XII. & repetatur Q. IV. huc applicanda.

Q. VII.

Q. VII. An probanda sint conciones funebres?

R. Aff. 1. Ex insigni loco, *Apoc. 14: 13.* item ex *Syr. 44: 14. 15.* non enim læditur gloria DEI, si honorifica fiat piorum mentio, namque cum pij laudantur, laus ea tota DEI est.

2. Conciones funebres incitant alios ad piè vivendum, ut *sectentur* τὰ σεμνὰ, *casta, justa, virtutis laudem*, *Phil. 4: 8.* idem monet *Ap. postolus, Hebr. 13: 7.*

3. Exempla in Sacris non desunt, *David Abnerum encomio dignatur, 2. Sam. 3: 33. 34.* *Jeremias Zedekiam, Thren. 4: 20.* & *Syracides viros gloriosos laudat, Capp. 44: 45. 46. & seqq.*

4. Caveant autem Ecclesiæ ministri, ne adulationes immisceant concionibus funebribus, sed ut juxta judicium Discretionis, quod illis competit, (vid Art. XIII. Sect. III. Q. II.) de auditorum antea actâ vitâ testificentur. *Conf. Ordin. Eccl. Cap. XIII. §. VII.*

Q. VIII. An Epitaphia & monumenta defunctis sint erigenda?

R. Aff. Quia talia monumenta, si modo citra ambitionem erigantur, testantur de

defunctorū virtute & rebus gestis, item de si de superstitum, quod credant piē defunctos in die pantocritico resurrecturos, sic de Davidis sepulchro loquitur Petrus, *Act. 2: 29.*

Q. IX. Quid de Cœmiteriis tenendum?

R. Cœmiterijs eligatur locus siccus & apricus, ubi venti perflare possint; benè muniatur, ne bestia sepulchra diruant, præservetur à sordibus: sint quoque sepulchra profunda, & terræ copiâ tegantur, ne inficiatur aër, *conf. Ord. Eccl. Cap. XIIII. §. VIII.*

Q. X. An legi consentaneum sit, quod corpora facinorosorum, in patibulo vel rotâ relinquuntur insepulta?

R. I. Rei: ubi. utile est, horrendis ejusmodi spectaculis alios à similibus delictis deterreri; nam sæpe usu venit, ut quos honestas à facinoribus avocare non potest, horum petulantiam ejusmodi spectacula compescant.

2. Tale supplicium à posteris Saulis sumtum est, *2. Sam. 21: 9.* & quidem, ut ibi dicitur, *coram Domino*, h. e. non sine ejus approbatione.

3. Quod attinet legem, *Deut. 21: 22.* ea judicialis est, & Judaicum duntaxat populum obligat.

Q. XI. An Magistratus cadavera punitorum medicis ad anatomiam concedere possit?

R. Aff. quia 1. Dissectio hujusmodi à Medicis suscipitur boni publici intuitu, ut inde perfectior Medicinæ cognitio comparari, & ad alios curandos medicinæ studiosi peritiores evadere possint.

2. Nec cadaveribus ulla inde attrahitur contumelia, sed id commodi potius illis accedit, quòd ossa sepeliantur, quod aliàs vix fieret.

SECTIO III.

DE RESURRECTIONE

Q. 1. Cum plurimi fuerunt, & adhuc sunt impæta, Resurrectionem mortuorum negantes, quomodo eadem stabilitur;

R. Eandem comprobant 1. S. Scripturæ Dicta per plurima, Job. 19: 25, 26. Ezech. 37. 5. 6. Dan. 12. 2. Job. 6: 40. &c.

2. Exempla, 1. Reg. 17: 21. seqq. 2. Reg. 4: 35. Luc. 8: 55. Job. 11: 44.

3. Typi, ut germinatio virgæ Aaronis, Num. 17: 8. Jonæ liberatio de ceto, Jon. 2: 11. conf. Matth. 12: 40. & 16: 4.

4. Rationes: justitia Divina postulat, unicuique secundum facta retribui; at hoc non

fieret, nisi resurrectio mortuorum esset. Nam hic bonis sæpè malè, & malis benè est, *Psal. 73: 3. seqq. Jer. 12: 1. seqq.*

5. Et homo non solum ad transitoriam hanc vitam, sed præcipue ad æternam vitam creatus est.

Q. II. An eadem corpora cum omnibus suis membris sint resurrectura?

R. 1. Affirmando ex *Job. 19: 25-27. & Esa. 26: 19. 20. &c.* 2. Quod *Matth. 22: 30.* dicitur, nos in resurrectione fore *ἰσαγγέλους*, id non de Essentiâ, sed exteriorum qualitatuum conformitate intelligendum est.

Q. III. An corpora mutila resurrectura sint integra & perfecta?

R. 1. Quod beatos attinet, recipient illi omnia membra organica, etiam ea, quibus in hâc vitâ caruerunt: Quia (1) restitutio omnium est speranda, *Act. 3: 20.* quod ergo fuit in *πρωτοκλισία*, illud restituetur in *ωαλιγγενεσία*. (2) Quod seminatur in infirmitate, resurget in gloriâ, *1. Cor. 15: 43.* (3) Corpora beatorum erunt corpori Christi conformia, *Phil. 3: 21.* quod erat integrum.

2. Damnatos vero quod concernit, non videntur recepturi membra, quibus in hâc vitâ

vitâ caruerunt; quia (1) nihil illis tribuendum, quod illorum ignominiam minuât. (2) Nec plus boni in futurâ vitâ accipient, quàm in hâc obtinuerunt.

Q. IV. Quid credendum de infantibus in utero matrum extinctis, an & illi resurgent?

R. Aff. Quia (1) omnes homines sunt resurrecturi; infantes sunt animâ rationali & corpore organico præditi, & sic homines, E. resurrecturi. (2.) Christus adstruit resurrectionem mortuorum ex eo, quod Deus vocet se, Deum Abraham, Isaaci & Jacobi, *Matth. 22. 32.* ergo & seminis eorum Deus est, *Gen. 17. 7.* quod omninò resurget. (3) Christus non solum nasci, sed etiam in utero virginis concipi & gestari voluit, ut etiam infantum in utero matrum oclusorum se Salvatorem esse demonstraret. (4) Alia ratio est foetus abortivi, qui non plenè & sensibiler vixit, ergo nec mori, & per consequens nec resurgere potuit. (5) idem censendum de partibus monstrosis, bestiis similibus. Quæ vero partus in dispositione membrorum, in aliquâ saltem parte discrepant, verè resurgent, *conf. Art. XIV. de Bapt. sect. 1. Q. XIV.*

Q. V. Ubinam à Christo & ab alijs Sanctis miraculosè susciatorum anima in cœlâ fuerit?

R. Aut in ipso corpore, quod vivificando reliquerunt, *Act. 20: 10.* aut in *æ* quodam extraordinario, quod ubi ubi fuerit, DEUS novit unus,

Q. VI. *An resuscitatis denuo moriedum fuerit?*

R. 1. Affir. Quia corpora eorum post miraculosam resurrectionem fuisse animalia, mortalia & corruptibilia, testatur ipsa manducatio, *Luc. 8: 55. Job, 12: 2.*

2. Quod *Hebr. 9: 27.* dicitur, *hominibus esse semel moriendum*, intelligendum est de communi necessitate moriendi omnium hominum, exceptis iis, qui miraculosè excitati sunt; item iis, qui nec semel quidem mortui sunt, ut Henoch & Elias.

Q. VII. *In quâ ætate & staturâ mortui sint Resurrecturi?*

R. 1. Variant hîc sententiæ; probabilior tamen videtur eorum, qui statuunt unumquemque resurrecturum esse, in illâ ætate ac staturâ, in quâ fuit mortuus, quia (1) Johannes *vidit magnos & pusillos stantes coram DEO, Apoc. 11: 18. & 19: 5. & 20: 12.* (2) illud quod cecidit, resurget; atqui mortuo infante, non cecidit vir procerus. (3) in hâc

hâc sententiâ sunt quoque Bb. Patres, ut patet ex eorum Scriptis quàm plurimis.

2. Si vero in hâc vitâ cujuscumque statura fuerit monstrôsè magna vel parva, ut gigantum & pygmæorum, tolletur omnis monstrôsitâs in resurrectione, *vid. Q. III.*

3. Quod objicitur ex *Eph. 4: 13.* in alienum sensum detorquetur, ut liquet ex ipso contextu.

Q. VIII. An omnium hominum resurrectio pendeat à gloriosâ Christi resurrectione?

R. Ex Art. IX. De Christo, Sect. III. Q. III.

SECTIO IV.

DE CONSUMMATIONE SECULI.

Q. I. An mundus sit interiturus καὶ ῥοιαν, an v. κατὰ ποιότητας?

R. Aff. Prius; & quidem (1) ex immotis S. Scripturæ locis, ut *Psal. 102: 27. 28. Esa. 34: 4. Luc. 21: 33. 2. Pet. 3: 10. seqq. Apoc. 20: 11. & 21: 1.* (2) Quemadmodum per DEI omnipotentiam ex nihilo factus est mundus; ita per eandem in nihilum redigetur. (3) Quod *Psal. 104: 30.* de renovatione objicitur, de annuâ renovatione intelligendum est.

SECTIO V.

DE EXTREMO JUDICIO.

Q. I. An futurum sit iudicium extremum?

R. Aff. 1. ex *Matth.* 25: 31. *seqq.* *Act.* 17: 31. (2) ex ijs, quæ dicta sunt Sect. III. de re-
fur. Q. 1. num. 4.

Q. II. Quanam circa extremum iudicium nota-
tanda sint, juxta scripturam sacram?

R. Not. venit 1. citatio rigorosa per soni-
tum tubæ, 1. *Cor.* 15: 51. 52. 1. *Thess.* 4: 16.

2. Accurata examinatio, scilicet omnium
cordis nostri cogitationum & consiliorum, e-
tiam in tenebris & abscondito, sub specie
recti agitatorum, 1. *Cor.* 4: 5. cujusvis verbi
otiosi, *Matth.* 12: 36. 37. totius nostræ vitæ,
omnium negotiorum, 2. *Cor.* 5: 10. admini-
strationis bonorum, tam animi, quam Cor-
poris & fortunæ, *Matth.* 25: 14. *seqq.* Officij
& status vocationis, *Hebr.* 13. 17. Scandali da-
ti, *Marc.* 9. 42. temporis, *Syr.* 4. 23. *Ec. Ec.*

3. Judex est Jesus Christus, *Act.* 17: 31. qui
est fortis & omnipotens, *Psal.* 24: 8. omni-
scius, *Hebr.* 4: 13. Justus, *Jer.* 11. 20. *Ec.*

4. Accusatores & testes, ipsa conscientia,
Rom 2: 15. *conf.* *Qq. proæm.* Q. III. Ecclesiæ
ministri, *Joh.* 12: 48. *Hebr.* 13. 17. pij homi-
nes, *Sap.* 5: 1. Diabolus, *Apoc.* 12. 10.

5. Sententia definitiva, pijs dicenda, *Matth.* 25: 34. in impios, *Matth.* 25: 41.

Q. III. *An peccata piorum equè ac impiorum in extremo iudicio sint publicanda?*

R. Neg. Quia 1. pij in extr. iudicio audient non peccatorum, sed bonorum operum enumerationem, *Matth.* 25: 34. *seqq.*

2. Projecit peccata nostra in profundum maris, *Micb.* 7: 19. h. e. in abyssum misericordiæ suæ, & infiniti meriti Christi, quod enim hic condonavit, ibi non refricabit.

3. Christus est noster advocatus, 1. *Job.* 2: 1. 2. cujus est, non propalare, sed tegere peccata clientis; Est Amicus noster, frater noster, imò Charitas ipsa, quæ universa delicta operit, pro quibus tollendis sufficientissimum λύτρον hic præstitit, 1. *Job.* 1: 7.

4. Pij non judicabuntur, non enim venient in iudicium, sed transibunt à morte ad vitam. *Joh.* 5: 24. Nec est qui eos accusare aut condemnare possit, *Rom.* 8: 33. 34.

Q. IV. *Cur Christus signa extreni iudicij prædixerit?*

R. 1. Ut suam Φιλανθρωπίαν ostenderet, & in hominibus securitatem expelleret.

2. Ut de hisce signis cogitantes, ad iudicium novissimum sese præparent; *La-*

tet unus Dies, ut observetur omnis Dies.

3. Ne ullus daretur hominibus excusationis locus, q. DEUS eos repentino velit obruere casu.

Q. V. Quomodo nos ad diem novissimum præparare debemus?

R. 1. Fiduciâ meriti Christi, & amoris, quo omnes fideles complectitur, ultimus ille dies expectandus est; quia tunc instat nostra ἀπολύτρωσις, *Luc. 21. 28.*

2. Precibus indefessis vacandum, vita in melius indies mutanda, ebrietas vitanda & cura nimia seculi, *Luc. 21: 34.* Benignitas erga proximum exercenda, *Matth. 26: 40. &c.*

Q. VI. An liceat injuriantem citare ad extremum judicium, coram Tribunali Dei?

R. Hujus citationis fundamentum videtur poni *Apoc. 6: 9, 10.* Sed ejusmodi citationes meritò formidandæ sunt; & ubi non fuerit summa innocentia, atrocissima injuria, pura & ab omnibus affectibus libera conscientia, & singularis Dei impulsus, consultissimum est imitari patientiam Christi, *Luc. 23: 34.* & Stephani, *Act. 7: 60.*

Q. VII. An tempus extremi judicij desiniri possit?

R. Fuere varijs temporibus variæ variorum
jectu-

jecturæ de ultimo Die, sed verè & meræ fue-
 re conjecturæ; DEUS enim sibi soli reserva-
 vit cognitionem ultimæ diei & horæ, leg.
 Marc. 13: 32.

SECTIO VI.

DE INFERNO.

Q. 1. An sit infernus?

R. Aff. 1. Ex plurimis *Scripturæ Dictis*,
 Esa. 66: 24. Matth. 5: 22. c. 8. 12. c. 10: 28: c 25.
 41. Luc. 16, 23. &c. 2. Exemplo Sodomita-
 rum, Gen. 19, 24. Core, Dathan & Abiram,
 Num. 16: 33. 3. Ratione; justitiæ divinæ est,
 suum cuique tribuere, ergo & impijs retri-
 buet; sed hoc in hâc vitâ rarò contingit,
 igitur in altera. 4. ex *angoribus*, quos senti-
 unt impij, qui sunt præludia Gehennæ.

Q. II. S. *Scriptura duorum saltem locorum
 meminisse post mortem, Cæli & Gehenna, sed
 est ne intermedius aliquis locus?*

R. Pontificii fabulantur quidem de Lim-
 bo infantum, de Limbo Patrum, & de purga-
 torio, sed mera sunt figmenta.

Q. III. *Estne inferni locus in Centro terræ?*

R. Neg. quia Cælum & terra peribunt,
 Apoc.

Apoc. 20: 11. si itaque infernus esset in terra centro, utique & ipse interiret.

Q. IV. Quid de tormentis Damonum sentiendum?

R. Quia Primi sunt peccatorum authores, ergo gravius mulctandi; & sentiunt iam tum dolorum infernalium initia, sed gravia augmenta denum in die judicij subsequuntur.

Q. V. An supplicia infernalium sint aeterna?

R. Aff. 1. ex S. Scriptura Dictis, prout *Esa. 66: 24. Apoc. 14: 11. Ec. 2. Rationibus*, & quidem (1) peccatum committitur contra infinitum bonum, videl. DEUM, ergo promeretur infinitam pœnam, nempè aeternam.

(2) Per peccatum homo amittit aeternum bonum, (sc. gratiam DEI, inhabitationem Spiritus S. & vitam aeternam;) ergo per illud incidit in aeternum malum.

(3) Damnati meritum Christi incredulitate repudiarunt, quod est infiniti valoris & pretij: ergo infiniti boni amissionem, ceu aeternas & infinitas pœnas, merito sentiunt.

(4) Gaudia beatorum erunt aeterna, ergo & supplicia damnatorum debent esse aeterna: DEUS enim aequè justus est ac misericors, *Syr. 5: 9.*

Q. VI. Sunt ne ergo terribiles pœna infernales?

R. Aff. Est enim i. *separatio* sempiterna à DEO, Sanctis Angelis & Electis, *Matth.* 7:23. & 25: 41. *Luc.* 13: 27. 28.

2. Horrenda *societas* cum tetrīs Diabolis, *Matth.* 25: 41.

3. *Tortura* & *cruciatio* extrema, *Luc.* 13: 42. *continua*, *Apoc.* 20: 10. & *infinita*, *Apoc.* 14: 11.

4. *Tenebra* extrema, *Matth.* 8: 12.

5. *Ignis* inextingvibilis, *Esa.* 66: 24.

6. *Vapor* & *fator* sulphureus, *Apoc.* 14: 10. 11.

7. *Conscientia* mordens, *Esa.* 66: 24.

SECTIO VII.

DE VITA ÆTERNA.

Q. I. An sit vita æterna?

R. Aff. i. *Dictis* S. Scripturæ, *Dan.* 12: 2. *Job.* 10: 28.

2. *Exemplis*, *Enochi* *Gen.* 5: 24. *Eliæ*, 2. *Reg.* 2: 11.

3. *Rationibus*; (i) *Deus* est *verax*, ergo implebit *promissiones* de *beatitudine*. (2) *Christus* est *Rex æternus*, ergo habebit *æternos subditos*, qui ipsum colent.

4. *Parabolis*; de *nuptijs*, *Apoc.* 19: 7. de *convivio*. *Matth.* 8: 11. de *pascuis*, *Job.* 10: 9. de *Regno*, *Luc.* 22: 29.

Q. II.

Q. II. *Quenam bona in Contemplatione vite aeterna nobis representantur?*

R. Sunt illa ineffabilia, nimirum 1. Insa-
tiabilis DEI visio, *Matth. 5: 8. Job. 19: 25, 26.*
1. *Cor. 13: 12. 1. Job. 3: 2.*

2. Continua Dei collaudatio, *Apoc. 4: 8.*
c. 7: 11. 12. c. 12: 10.

3. *Anima* nostrae sublimatio, scilicet intel-
lectus in sapientiam, *1. Cor. 13: 9, 10.* Vo-
luntatis in sanctitatem, *Matth. 22: 30.* Affe-
ctus in conformitatem cum voluntate Dei,
Eph: 5. 27.

4. *Corporum* nostrorum claritas, qua con-
formia erunt (1) corpori Christi, *Phil. 3: 21.*
(2) Angelis, *Matth. 22: 30. Luc. 20: 36.* & qui-
dem (a) in claritate, *Dan. 12: 3. Matth. 13: 43.*
(b) in celeritate, *Esa. 40: 31. Sap. 3: 7.* (c) in ro-
bore, *1. Cor. 15: 43, 44* (d) in invisibilitate, *Luc.*
24: 36, 37. Matth. 27: 53. (e) in immortalitate,
1. Cor. 15: 42, 53. (f) in facultate penetrandi
dimensiones, *Luc. 1: 29. & 24: 37.* (g) in refe-
ctione virium dejectarum, *Esa. 40: 31.* (h) in
perfectione naturae, nullae reparationi per ci-
bum & potum obnoxia, *Esa. 49: 10. Apoc. 7: 16.*

5. Perjucunda *societas & conversatio*, cum
Christo, *Job. 12: 26. & 14: 2, 3.* cum Sanctis An-
gelis, *Hebr. 12: 21, 23,* & omnibus electis, *Matth.*
8: 11. Hebr. 12: 23.

Q. III.

Q. III. An beati in futurâ vitâ intuitivè & perspicuè Deum visuri sint?

R. 1. Dist. inter visionem *Comprehensivâ*, naturalem, & *beatificâ*. Non prioribus modis, sed posteriori, Deum videbunt beati oculis glorificatis, idq; modo nobis in hac vitâ incognito.

2. Videbunt beati in futurâ gloriâ Christum, *Job. 17: 24.* 1. *Job. 3: 2.* & in Christo S. S. Trinitatem, *Job. 14: 10.*

Q. IV. An beati se invicem sint agniture?

R. Aff. (1) Apostoli agnoverunt Moysen & Eliam, nunquam antea visos, *Marc. 9: 4.*

(2) restituetur imago Dei, cujus dono Adam cognovit Evam, nunquam sibi visam, *Gen. 2: 23.*

(3) Dives in flammis cognovit Lazarum, *Luc. 16: 23. 24.* multò magis electi & glorificati se invicem agnoscent.

Q. V. An sint gradus futuri in vitâ eternâ?

R. Aff. (1) una salus communis erit, sed gloria dispar; *leg. 1. Cor. 15: 41.* (2) qui plus lucrati sunt, talentis concreditus, præmia majora auferent, sed ex gratiâ, *Matth. 28: 20. 23.*

Luc. 19: 17.

Q. VI. An beati invicem sermocinabuntur, & externâ voce Deum sint glorificaturi?

R. Aff. Utrumque; quia (1) Christus, Moyses & Elias, collocuti sunt in monte, *Matth.*

17: 3. *Luc. 9: 31.* (2) Paulus in Paradisum raptus, audivit ἀρχαῖα ῥήματα, *2. Cor. 12: 4.* (3) In Apocalypsi passim tales glorificationes commemorantur, *Apoc. 7: 9. seqq. &c.*

Q. VII. Quâ lingvâ Sancti in vitâ aternâ Deum sine celebraturi?

R. 1. Sunt, qui putant illos usuros lingvâ Hebræâ, quâ usi sunt Patriarchæ, & Sancti voces Hebræas etiam in laudibus DEO decantandis, ut Amen, Halleluja, *Apoc. 7: 11. & 19: 1, 6.*

2. Alii existimant DEUM omnibus lingvis esse glorificandum, & hoc vergere ad majorem DEI gloriam, si omnis lingua eum confiteatur, *Phil. 2: 11.*

3. Sed verisimile est, DEUM electis notitiâ Lingvæ singularis, eminentis supra omnes lingvas in hâc vitâ usitatas, infusurum: Nam (1) Paulus dicit, cessuras esse lingvas, sc. in hoc mundo usitatas, *1. Cor. 13: 4.* (2) Paulus raptus in tertium cœlum audivit verba ἀρχαῖα, *2. Cor. 12: 4.* (3) Zophonias meminit labii electi in cœlo, *Zeph. 3: 9.* h. e. lingvæ singularis. (4) idem Paulus facit etiam mentionem lingvæ Angelicæ, *1. Cor. 13: 1.* FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

INDEX QUÆSTIONUM.

QUÆSTIONES PROOEMIALES:

Q. 1.	<i>An sit Conscientia.</i>	pag.	1.
2.	<i>Unde dicatur Conscientia</i>		2.
3.	<i>Quid sit Conscientia</i>		2.
4.	<i>Quotuplex sit Conscientia?</i>		3.
5.	<i>Quid sit bona Conscientia?</i>		3.
6.	<i>Quenam sint indicia bonæ Conscientiæ?</i>		3.
7.	<i>Quibus medijs bona Conscientia acquiratur & conseruetur?</i>		4.
8.	<i>An Christianis imprimis habenda sit ratio Conscientiæ?</i>		5.
9.	<i>An quandoque fame prior habenda sit ra- tio quam Conscientiæ?</i>		6.
10.	<i>An Bona Conscientia Coram Deo absolute valeat?</i>		7.
11.	<i>Quid sit mala Conscientia?</i>		7.
12.	<i>Quot sint species malæ Conscientiæ?</i>		7.
13.	<i>Quæ sint officia malæ Conscientiæ.</i>		9.
14.	<i>Quid de Conscientia dubia & opinabili sentiendum?</i>		10.
15.	<i>Quid sit Conscientia dormiens.</i>		10.
16.	<i>Quibus medijs Deus Conscientiam dormien- tem excitat?</i>		10.
17.	<i>An Conscientia in homine extingui possit?</i>		11.
18.	<i>Quomodo Conscientia vulnerata sanetur?</i>		12.
19.	<i>Quid sint Casus Conscientiæ?</i>		12.
20.	<i>Quâ methodo hi casus Conscientiæ pertra- ctandi sint?</i>		13.

ARTICULUS I.

DE SCRIPTURA SACRA.

- Q. 1. *An Scriptura Sacra sit principium salutis
& cognitionis Theologiæ?* p. 13.
2. *Quid si quis, præcipuè laicus dubitet de
veritate verbi Divini, & Christianæ
religionis,* 14.
3. *At si suggesserit Satanas aliquid contra
Verbi Divini veritatem?* 14.
4. *An unius dicti plures sint sensus literales?* 15.
5. *An Theologia transcendat regulas Logicas,* 15.
6. *An infidelium libri sint legendi?* 15.
7. *An Evangelistæ & Apostoli mandato ipsius
Dei, scripto comprehenderint verbum
Divinum?* 16.
8. *Quis in controversijs religionis & fidei ju-
dex sit?* 16.
9. *Suntne Traditiones attendendæ?* 17.
10. *An Verbum Dei lectum aut prædicatum sit
efficax conversionis medium?* 17.
11. *Quomodo cum fructu legenda sit Scriptura S.* 18.
12. *Quomodo ergo quis feliciter ac faciliter in
lectione S. Scripturæ versari possit?* 18.
13. *Cum verbum Dei sit efficax, (Q. 10.) qui sit,
quod multi sine fructu illud audiant?* 19.
14. *An sufficienter probari possit, Deum ejusq;
Verbum toti mundo esse manifestatum,* 19.
15. *An corruptus sit Textus Hebræus Vet. Testa-
menti?* 21.

16. *An textus Græcus N. Test. ad nos pervenerit integer & incorruptus,* 22.
17. *An scriptores sacri usquam erraverint ?* 22.
18. *An perfecta sit Scriptura Sacra ?* 23.
19. *An quidam libri Canonici perierint ?* 23.
20. *Estne Scriptura Sacra perspicua ?* 24.
21. *An etiam laici ad Sacræ Scripturæ lectionem sint admittendi ?* 24.
22. *Sed unde habeant laici S. Biblia, cum plerique sint pauperiores ?* 24.
23. *Sufficit ergo lectio privata, intermissâ publicâ verbi auditione,* 25.
24. *Quomodo juvandi sint, qui lapsibus sanctorum in S. Script. annotatis offenduntur.* 25.

SECTIO II. De Catechismo.

- Q. 1. *Unde dicatur Catechismus.* 26.
2. *An vivâ voce, an v. ex libris expeditius doceatur Catechismus ?* 26.
3. *Quid sit Catechismus ?* 27.
4. *Quot & quæ sint Capita Catechismi ?* 28.
5. *Quæ sit commodissima Methodus, Catechismum pro concione proponendi,* 28.
6. *Sint ne & aliæ quæstiones superaddende,* 29.
7. *An alij textus ad capita Catechismi sint applicandi ?* 29.
8. *Quid tenendum de Symbolo Apostolico ?* 30.
9. *An simplex homo omnes fidei Articulos nosse teneatur ?* 31.
10. *Quenam sit cura V. D. ministri circa hanc informationem ?* 31.

11. *Quid de baptizatis quidem, sed ab ortu
surdis, sentiendum?* 32.

ARTICULUS II.

DE DEO:

- Q. 1. *Quomodo probari possit, reverà esse Deum?* 33.
2. *Quomodo excitandi sint, qui conque-
runtur, se rarò & frigide de Deo cogitare?* 33.
3. *An Gentiles ex Lumine nature veram veri Dei
habuerint cognitionem?* 34.
4. *An saniores Ethnici ex hac qualicunq; Dei
notitia salutem æternam adepti sint?* 34.
5. *An Christianorum infantes habeant Dei
cognitionem?* 35.
6. *An mysterium S. S. Trinitatis in V. T. fuerit
cognitum?* 35.
7. *An Attribute Dei cum ejus simplicitate
pugnent?* 36.
8. *Quomodo S. Script. tribuat Deo affectus, iram
&c. cum sit immutabilis?* 37.
9. *An absque peccato dici possit, Deo quædam
esse impossibilia?* 37.
10. *Quomodo omnipotentia Dei sit infinita?* 38.
11. *Annon temerarij sunt Calviniani, quod
objecta divinæ potentie coarctent.* 38.
12. *Quomodo homo de omnipresentia Dei rectè
cogitare, credere & loqui debeat?* 39.
13. *Quomodo convenit cum justitia Dei, quod
impijs in mundo plerumque bene sit,
pijs vero male, &c.* 39.
14. *Quomodo de S. S. Trinitatis mysterio rectè
informari possimus?* 40.

15. *Quid prætereà de Christo nobis sciendum est?* 41.
 16. *Quid ulterius de Tertia Persona Trinitatis
 dicendum est?* 41.

SECTIO II.

DE CULTU DIVINO SEU RELIGIONE.

- Q. 1. *Quenam ad Cultum divinum requirantur?* 42.
 2. *An Deus rectè timeatur ab metumpænarum?* 43.
 3. *Potest ne una Persona Trinitatis, non nomi-
 nata alterâ, divino cultu affici?* 43.
 4. *An Humana natura in Christo divino cul-
 tu à nobis rectè honoratur?* 44.
 5. *An Cura veræ religionis in qualibet bene
 constitutâ Republ. sit necessaria?* 44.
 6. *An Magistratus possit subditis suis bonâ con-
 scientiâ imponere juramentū religionis?* 45.
 7. *An veræ religioni addicti, possint fœdus san-
 cire cum diversæ religionis hominibus?* 45.
 8. *An alienæ religioni addicti expellendi sint
 è Rep. pacatâ?* 46.
 9. *An plures & diversæ Religiones in Rep.
 sint admittendæ?* 46.
 10. *Quomodo Religio vera conservari & exer-
 ceri possit?* 47.
 11. *Undè certi esse possimus Religionem nostram
 esse veram?* 48.
 13. *Rectè ne à Luthero Lutherani dicimur?* 49.
 14. *Undè factum, quod Reformatio tempore Lu-
 theri tam subito sparsa sit, &c.* 50.
 15. *In quibus articulis à nobis discedunt Ponti-
 ficij & Calviniani?* 51.

16. *An aliqua spes sit reconciliationis?* 51.
17. *An omnis conversio cum hereticis sit vitanda?* 52.
18. *An judaei in Ecclesia sint tolerandi?* 53.
19. *An universalis judeorum Conversio ante mundi finem sit expectanda?* 54.
20. *An Pontificia Religio sit antiqua, Lutherana v. nova?* 55.
21. *An ex S. Script. probari possit Papam esse Antichristum?* 56.
22. *Quid de monasterijs & Monachis sentiendum?* 57.
23. *An virgines Religioni Evangelicæ addictæ, possint bonâ cum conscientia Cœnobia ingredi?* 58.
24. *Quid de Jesuitis tenendum?* 58.
25. *An benè faciant Jesuitæ radendo barbam? &c.* 59.
26. *An rectè traduntur liberi Jesuitis informandi?* 60.
27. *An à Calvino rectè dicantur Calviniani?* 61.
28. *An Lutherani cum Calvinianis conjungi debeant?* 61.
29. *An religio Sociniana sit Christiana?* 61.

SECTIO III. De Votis.

1. *An & quomodo Deo aliquid vovere liceat?* 62.
2. *An ad certa vitia evitanda quis voto se obstringere possit?* 62.
3. *Quid de votis monasticis sentiendum?* 63.
4. *Quæ res sint vovendæ?* 64.
5. *An votum Conditionatum obliget?* 64.
6. *An quis loco alterius votum persolvere possit?* 64.
7. *An vota ex metu, &c. sint valida* 65.
8. *An votum simulatum sit præstandum?* 65.

SECTIO IV. De Jejunio.

1. *Quid & quotuplex sit jejunium?* 66.
2. *Quid*

- | | |
|--|-----|
| 2. <i>Quid sit Jejunium religiosum?</i> | 66. |
| 3. <i>An jejunia conscientiam obligent?</i> | 67. |
| 4. <i>Quid sit jejunium superstitiosum?</i> | 68. |
| 5. <i>Absterret ne jej. superst. Christianum?</i> | 69. |
| 6. <i>An. jej. Quadrag. conscientiam obstringet?</i> | 70. |
| 7. <i>Quid faciendum ut jejunium sit Deo gratum?</i> | 71. |
| 8. <i>An Lutheranus inter pontificios obligatur ad
illorum jejunia, ne offendant infirmos?</i> | 72. |

S E C T I O V. De Eleemosynis.

- | | |
|---|-----|
| 1. <i>An sit adiaphorum dare eleemosynas?</i> | 73. |
| 2. <i>Quibus danda est eleemosyna?</i> | 73. |
| 3. <i>Quomodo danda est Eleemosyna?</i> | 74. |
| 4. <i>Quid de validis mendicantibus sentiendum?</i> | 74. |

A R T I C U L U S III.

D E C R E A T I O N E.

- | | |
|--|-----|
| 1. <i>An hic Articulus sit creditu necessarius?</i> | 75. |
| 2. <i>Quo anni tempore mundus sit conditus?</i> | 76. |
| 3. <i>Qualis fuerit lux illa primigenia?</i> | 76. |
| 4. <i>Quid de aquis supracœlestibus credendum?</i> | 77. |
| 5. <i>Est ne peccatum grande rarò de Creatione cogitare, & pro ea Deo gratias agere?</i> | 77. |
| 6. <i>Quid de Astrologia judiciaria sentiendum?</i> | 78. |
| 7. <i>Quodnam est solatium contra Fulgura & tonitrua?</i> | 78. |
| 8. <i>Quid de alijs prædictionibus astrologicis sit judicandum?</i> | 79. |
| 9. <i>An quis ex Cœli & elementorum observatione aliquid prædicere possit?</i> | 79. |
| 10. <i>Quid de operatione Eclipsium statuendum?</i> | 80. |

11. *Quid de signis & prodigijs censendum.* 80.
 12. *Quid de metoscopia & chiromantia credendum?* 81.

ARTICULUS IV. DE PROVIDENTIA DEI.

1. *Quomodo quievit Deus tertio die?* 82.
 2. *Quomodo tractandi infirmi & pusillanimes?* 82.
 3. *Quomodo temerarij & audaces?* 82.
 4. *Quomodo segnes & desides?* 83.
 5. *Quomodo diffidentes (quod non suppetant media?)* 84.
 6. *Cur Deus rerum penuriam immittat?* 84.
 7. *Quomodo expensæ accuratè subducendæ?* 85.
 8. *An peccent qui proximum pauperem contemnunt?* 85.
 9. *An contemnendi tenuiorum parentum filij?* 86.
 10. *An Terminus vitæ sit fatalis?* 86.

ARTICULUS V. DE ANGELIS.

1. *An æqualis sit bonorum & malorum Angelorum potentia?* 87.
 2. *Quomodo S. Angeli semper nobiscum sint?* 88.
 3. *Quomodo nos geramus, ut in hac vitâ simus
ισάγγελοι?* 88.
 4. *Suntne S. Angeli odorandi?* 89.
 5. *An liceat angelicas revelationes expetere?* 90.
 6. *Cur ministerium Verbi non S. Angelis committitur?* 90.

SECTIO II. De Malis Angelis.

1. *Quid faciendum, si Diaboli in assumpta visibili formâ nobis appareant?* 91.
2. *An Diab. cogitationes hominum sciat?* 91.
3. *An Diaboli vera miracula edere possint?* 92.
4. *Quid sit Spiritus familiaris.* 92.

SECTIO III. De Obsessis.

1. *Cur Deus permittat, Diabolo ut corpora humana ingrediatur?* 93.
2. *Quenam sint signa hominis obsessi?* 93.
3. *An flagitia perpetrata obsessis sint imputanda?* 94.
4. *An Demones possint obsessos privare fide & salute?* 95.
5. *An obsessi à S. Cœna sint arcendi?* 95.
6. *At si edes nostræ à Demonibus infestentur?* 96.
7. *An Diabolus magicis artibus pelli possit?* 96.
8. *An obsessi in sua miseria relinquiendi?* 96.

SECTIO IV. De Melancholicis.

1. *Quomodo Spiritui Melancholico resistendum?* 97.
2. *Quomodo instruendi, qui ob folij casum, & in loco tenebricoso spectra subverentur?* 98.
3. *Quomodo succurrendum Melancholiæ in defectu rerum temporalium, honoris, &c.* 98.
4. *Quomodo tristitiæ ex dilatione auxilij divini ortæ?* 99.
5. *Quomodo ex consideratione mortalitatis?* 100.
6. *Quomodo erigendi, qui desperant de perseverantia suâ in fide?* 100.

SECTIO V. De Magis & veneficis.

Item De Divinatione, vid. præcept. II. Decalogi.

SECTIO VI. De Spiritibus Erroneis
& Spectris.

1. *Quid de Spiritibus erroneis sentiendum?* 101.
2. *An sint spectra? & quæ illa sint?* 102.
3. *Quenam loca maximè amant spectra?* 102.
4. *An liceat spectra adjurare?* 102.
5. *Quid statuendum de pontif. medijs fugandi spectra?* 103.
6. *An ad fugandum spectra valeat signum crucis?* 103.
7. *An solis precibus fugentur spectra?* 104.

ARTICULUS VI.

IN STATU INTEGRITATIS.

- Q. 1. *An hæc doctrina ad Nos in statu peccati constitutos spectet?* 105.
2. *Quomodo dignitatis hujus consideratio ad pietatis studium nos excitare possit?* 106.
3. *Quomodo erigendi, qui anguntur, quod ad pristinam renovationis perfectionem assurgere nequeant?* 106.
4. *Quæ cause fuerint longevitatis protoplastorum & antediluvianorum?* 107.
5. *Quomodo protoplasti ad imaginem Dei conditi, in statu integritatis seduci poterint?* 108.

ARTICULUS VII.
DE PECCATO.

- Q. 1. *An Protoplastorum peccatum, fuerit pecc. gravissimum?* 109.
2. *Undè sit peccatum in homine?* 110.
3. *Curr*

3. *Cur Deus lapsum protoplastorum non impedierit, quod fieri potuisset, si eos ita condidisset, ne peccare possent?* 110.
4. *An ignorantia excuset peccatum?* 111.
5. *An metus excuset peccatum?* 111.
6. *An animus promptus ad peccatum (sed deficiente occasione) æquè peccet, atque ille qui opus perfecit?* 111.
7. *Estne peccatum recidivum periculosius priore?* 112.
8. *An quis tuto possit persistere in statu peccati, si constituat postea vitam emendare?* 113.
9. *An peccatorum remissio à Deo impetrata, per insequentia peccata possit fieri irrita?* 113.
10. *An, & quomodo cor, homines ad peccandum movere & persuadere possit?* 114.

SECTIO II. De peccatorum pœnis.

- Q. 1. *An Deus posteris infligat pœnas ob majorum flagitia?* 115.
2. *Quæ sint pœnæ cardinales ob peccatum?* 115.
3. *Sunt ne & aliæ pœnæ propter peccatum?* 116.

ARTICULUS VIII. DE PRÆDESTINATIONE.

- Q. 1. *An de prædestinatione liceat disputare?* 116.
2. *An de electione & perseverantia sua certi esse possint electi?* 117.
3. *Quomodo ergo manuducendi sint, qui dubitant, an sint è numero electorum?* 117.
4. *An metus filialis, qui est in credentibus, excludat certitudinem de gratia Dei? &c.* 118.

5. *Quomodo erigendi, qui anguntur, nescientes an in fide perseverare, & ita salvari possint?* 119.
6. *Quid sit liber vite* 120.
2. *An inscripti in librum vite, inde deleri, & eternum perire possint?* 120

ARTICULUS IX.

DE CHRISTO *Ἰεσὺς Χριστός*.

1. *Quomodo probatur Deitas Christi?* 121.
2. *Quomodo probatur incarnatio Filij Dei?* 122.
3. *Utrum incarnatio sit opus solius filij, an vero totius S. S. Trinitatis?* 122.
4. *An de eorum salute desperandum, qui non agnoscunt Christum *Ἰεσὺς Χριστός*?* 123
5. *An & quomodo à servitute nos redemit Christus?* 123.
6. *An ergo nomen Jesu Reverentia genuflexione, capitis nudatione & externis gestibus exhibenda sit?* 124.
7. *An humana natura in Christo divinus debeat cultus?* 125.
8. *An nomini Jesu scripto cultus religiosus sit deferendus?* 125.
9. *Estne abusus nominis Jesu, cum homines vani in rebus ludicris, &c. illud nominant?* 125.

SECTIO II. De Passione & morte Christi.

1. *Quomodo certi simus Jesum Nazarenum, & non alium esse mundi Redemptorem?* 126.
2. *Quomodo nobis prodesse possit, aliena redemptio, cum anima ipsa quæ peccaverit, mori debeat?* 127.

3. *An Christus pro omnibus sit mortuus?* 127.
4. *An una gutta sanguinis Christi, sufficiens sit ad redemptionem totius mundi?* 128.
5. *An sanguis Christi in passione computruerit?* 128.
6. *Quomodo Deus sanguinem pretium redemptionis acceptare potuit cum sanguinem effundere prohibuerit?* 129.
7. *Quis conscientiae vulnera mundare & sanare potest?* 130.

SECTIO, III. De Defensu Christi ad inferos, Resurrectione & sessione ad dextram Dei.

1. *Quid de descensu Christi ad inferos simpliciter & piè credendum sit?* 131.
2. *An Christus suâ Resurrectione aliquid promeruerit?* 132.
3. *An virtute resurrectionis Christi omnes homines sint sureurrecturi?* 132.
4. *Quomodo ascensio Christi in caelos cobareat cum presentia ejus in S. Cœnâ?* 133.
5. *Quid de sessione Christi ad dextram Dei piè credendum?* 133.

SECTIO IV. De Officio Spiritus Sancti quatenus per Christum acquisita generis humani reparatio, ab eo principaliter applicatur.

1. *Unde certus esse queat homo de Spiritus Sancti presentia & inhabitatione?* 134.
2. *Qualis est illa inhabitatio Spiritus Sancti in fidelibus?* 134.
3. *Num Sp. S. infantes Christianorum sanctificet in utero matris antequam nascantur?* 135.
4. *An renati Sp. S. amittere possint?* 135.
5. *Quo-*

5. *Quomodo erigendi, qui censent se amisisse Spiritum Sanctum?* 136.

ARTICULUS X.
DE FIDE.

- Q.1. *An toleranda phrasis, sola fide justificamur, cum non sit εγγραφος,* 137.
2. *An sine Baptismo & S. Coenâ solâ fide justificamur?* 137.
3. *An Christianorum liberi habeant fidem in utero matris?* 138.
4. *Quid tenendum sit de fide minorennium ante usum S. Coenæ?* 138.
5. *Quomodo fides in Christum magis magisque in nobis excitari possit?* 138.
6. *Quenam sint indicia veræ fidei?* 139.
7. *Quomodo instituendi sint, qui de infirmâ fide conqueruntur?* 140.
8. *An fides possit cogi; & an impij ad veram fidem amplectendam violenter cogendi sint?* 141.

ARTICULUS XI.

DE LEGE ET EVANGELIO MEMBRUM

I. De Lege Morali sive Decalogo.

DE PRIMO PRÆCEPTO.

SECTIO I. De Zelo erga Deum.

1. *Quid ad timorem erga Deum nos extimulare possit?* 142.
2. *An Deum rectè colant, qui eum saltem metu poenæ colunt?* 142.

3. *Cum*

3. *Cum Deus sit timendus & amandus, quid ergo ad amorem Dei nos incitare possit?* 143.
4. *An ullus homo in hoc seculo Deum sufficienter amare possit?* 144.
5. *Quibus medijs obtineri possit gaudium Spirituale in Deo?* 144.
6. *Quid sit Zelus Dei, & quæ ejus indicia.* 145.
7. *Quibus argumentis ad fiduciam in Deum collocandam excitemur?* 146.
8. *Quæ sint notæ veræ humilitatis erga Deum?* 146.
9. *Quid propriè sit patientia?* 147.

SECTIO II. De Dijs Alienis.

1. *Quid sint Diji alieni?* 148.
2. *Sed suntne inter nos idola, quæ coluntur?* 148.
3. *Unde dignoscatur ambitiosus honos?* 149.
4. *Quenam dari possunt remedia contra nevodoziar?* 150.
5. *Quomodo frenanda sit cupiditas divitiarum?* 150.
6. *An possit Christianus bonâ conscientia opes possidere?* 151.
7. *Quid de luxuria in victu notandum?* 152.
8. *Quid de luxu in amictu statuendum?* 154.

DE SECUNDO PRÆCEPTO.

SECTIO I. De Juramentis.

1. *An licitum sit jurare?* 155.
2. *An juramentum religionis S. Scripturæ sit consentaneum?* 155.
3. *Quid de eo more sentiendum, quod jurans tanget Biblia sacra vel evangeliorum volumen?* 155.
4. *Quibus nam in rebus juramenta sint licita?* 156.
5. *Quæ*

5. *Quae personae habiles sint, ut jurent?* 156.
 6. *An de re exigua liceat jurare?* 156.
 7. *Cur perjuriam fugiendum?* 157.
 8. *An aliquando juramentum non obliget?* 157.

SECTIO II. De Magia.

1. *Quid sit Magia.* 158.
 2. *Quid sint sagæ & quibus notis seu signis dignoscantur?* 158.
 3. *An verisimile magos magasque in loca remotissima (Blatulla) transferri &c.* 159.
 4. *An sagæ tempestates ciere possint?* 160.
 5. *An magi suâ arte homines in bestias convertere possint?* 161.
 6. *An sagæ lac ex uberibus hominum pecorumque furari possint?* 161.
 7. *An quis salvâ conscientiâ possit facere se ἄφρων?* 162.
 8. *Est ne magicum, contra injuriam globorum, ictuum hostium, corpus facere immune?* 162.
